


Ex Libris
Co: Ludovici Pelleatti
e Portugruario.

BIBLIOTECA
SEMINARIO V.
PORDENONE

C
A
CAR 1

XI-2 1)

92

DE OFFICIO ORATORIS LIBRI. V.

In quorum tribus, qua ratione Orator docere, delectare, ac mouere debeat, plene docetur: in reliquis uero, de Pronuntiatione & Memoria accurate scribitur:

In secundo speciatim de Iocis, siue Ridiculis absolutissima habetur tractatio.

Quibus accessit Catalogus Auctorum qui de Rhetorica Grece, Latine, & Italice aliquid scripserunt: atque eorum qui Aristotelis & M. Tullij rhetoricos libros suis scriptis illustrarunt.

AVCTORE LVDOVICO CARBONE a Costaciaro, Academico Parthenio, & sacrae Theologiae in almo Gymnasio Perusino olim Publico Magistro.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS, apud Ioannem Guerillium. 1596.

BIBLIOTHECA SEMINARII CONCORDIENSIS

SERENISSIMO FRANCISCO MARIAE II.
Vrbini Duci VI. &c.



Nvs et alter propemodum annus est, cum Celsitudini tuæ ex meorum studiorum fructibus nullum, pro meo instituto, persolui censum. Cur autem annum prætermiserim, id fuit caussę, quod propter alia opera, quæ mihi præter opinionem conficienda fuere, uiginti de diuinis humanisq; legibus libros, quos tibi destinaueram, eos typis dare, et ad te mittere non potui: qui tamen fructus tibi pendent, & in dies maturescunt, propediem decerpendi, ac mittendi. Interim, cum nonnihil uererer, ne me uel negligentię, uel ingrati, aut potius iniusti animi uitio damnares, aliquod munusculũ ad te mittere decreui. Cum ergo his diebus intellexerim, hos de Officio oratoris libros a multis desiderari, ac etiam perquiri, quod in

eis ea contineantur, quæ mihi de tota dicendi ratione edenda restabant; eos sub tuo amplissimo nomine in lucem exire uolui: Tum, quod omnes fere meas de arte oratoria lucubrationes tibi dicaui, ac proinde hanc quoq; tibi deberi animaduertebam: tum etiam, ut eam culpam, quam me timere paullo ante dixi, uitarem: ne, quam pro tua singulari humanitate apud te collegi gratiam, amitterem. Nam, si Aristippus grauis auctor, non modo magnorũ uirorum patrocinio literatos confidere, sed ex eorum auctoritate totos pendere uolebat; quid ego inter literatos minimus facere debeo? Ego, inquam, qui omnibus ijs rebus sum destitutus, quibus studia sustentari solent: cũ eum sim nactus meorum studiorum atq; scriptorum Patronum, qui, tantum abest, ut literas aspernetur, ut maxime omnium literatos amplectatur, iuuet, et protegat; immo in quouis literaturæ genere sibi palmam præripi non patiatur: et quod in paucis inuenias, bonas literas cum omnibus uirtutibus coniungat, nomenq; suum eximijs animi ornamentis ad om

nem

nem immortalitatem commendet, suoq; splendore hoc nostrum sęculum, ueluti lucidissimus sol, serenet, atque illustret. Quis enim est qui ignoret (ut nunc de literis taceam) quanta sit tua in omni uita moderatio, quanta in rebus arduis fortitudo, quanta in rerum distributione iustitia, quanta in regendis populis prudentia, quanta in literatos munificentia, quanta deniq; in Deum pietas, atq; religio? Ut, cum animum habeas omnium uirtutum genere exornatum, & tantum lumen in omnem partem diffundas, attributum illud SERENISSIMI, tibi iure optimo tribuatur: ut qui ab animo omnes ignorantię tenebras omnesq; perturbationum nebulas quam longissime dispuleris, & alios tuo splendore illustres: quo te omnes ad amandum allicis, et in amore arctissime tenes, tibi optimo nobilissimoq; dominij genere subijcis: et ita non solum in tuos, sed etiam in omnes qui tuas uirtutes norunt, eum principatum exerces, quo nihil potest excogitari pręstantius atque diuinius; quam scilicet, hominum animos sibi ha-

*bere deuotos: cum hæc regnandi ratio sit diui-
ni numinis propria. Tu itaque omni ex par-
te absolutus Princeps, qui cum prius tibi ipsi
penitus imperes, alios etiam tuis uirtutibus
tibi subiectos reddis. Neque enim quispiam
eum perfectum Principem uocaret, qui suis
affectibus uitiisq; misera, & homine etiam
abiectissimo indigna seruitute deseruiret.
Ago itaq; immortali Deo gratias quam ma-
ximas, quod eum sim nactus Dominum atq;
Patronũ, qui sit omnibus uirtutibus plenus,
non Colossum quendam terra refertum, cui
mea scripta recte consecrare possim, eumq;
hunc in modum nunc exorare debeam,*

*Hanc etiam Mecœnas accipe partem:
paruam certe, si rem ipsam, maximam uero,
si animi ex quo proficiscitur spectabis magni-
tudinem: quam quidem te spectaturum con-
fido; ut sicut in alijs partibus, ita & in hac
Deum imiteris, quem, ut tuis optatis faueat,
perpetuo me precaturum polliceor. Vale.*

Deditiss. seruus, ac deuotus

Ludouicus Carbo.



INDEX DISPVTATIONVM SINGVLORVM LIBRORVM.

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI.

LIBRI TERTII.

LIBRI QVARTI.

LIBRI QVINCTI.

De

Finis Indicis Disputationum singulorum librorum.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

Artium

Dicax

Figura

IX

Memo-

Officium

P

Q

R

Rhet.

CATALOGVS AVCTORVM qui in hoc opere citantur.

A


Egidius Romanus.
Aesopus.
Albertus.
Alexander Philos.
Alexander de Ales.
S. Ambrosius.
Antonius Bernardus.
Antonius Lullus
Antonius Pinus
Aristoteles
Athenæus
Auctor Herennianus.
Audomarus
S. Augustinus
Augustinus Niphus
Augustinus Valerius
Ausonius.

B

Barthol. Meduna
S. Basilius
S. Bernardus
Boetius
Buridanus.

C

C. Cæsar.
Canon. Apostolic.
Catullus
Claudius Minoes
Clemens Alexand.
Cælius Calcagninus.
Cælius Rodigin.
Collegium Coimb.
Conc. Trident.
Cosmus Rosellius.
Cyrillus Alex.

D

S. Damascenus.
Dauid
Diodorus Siculus
Diogenes Laert.
Dion.
Donatus.

E

Ecclesiasticus.
Emporius.
Ennius.
Eustatius.
Eustratius.

F

Fabius Quinctil.
Fernelius
Franciscus Petrarca
Franciscus Philelphus.

G

Galenus
Gerardus Odo.
Grifolus
Gulielmus Gratarola

H

Herbetius
Homerus
Horatius.

I

Iacobus Publicius
Iacobus Peresius
Iamblicus
Ioan. And. ab Anguil.
Ioan. Bapt. Porta
Ioan. Goropius
Ioan. Metzing.
Ioan. Mericlin.
Ioan. Romberch
Ioan. Visor.
Iobus
Isocrates
Iulius Capitol.

L

Lactantius Firmian.
Ludouicus Dulcius.
Ludouicus Granat.

M

Macrobius
Madius
Maioragius
Marcus Ant. Muretus
M. Cato
M. Tullius
Martialis
Matheolus Perusinus
S. Matthæus
Matthæus Colatius
Melchior Iunius.

O

Ouidius

P

Palladius
Parrasius
S. Paulus
Paulus Aegineta
Petrus Crinitus
Petrus Io. Perpinianus
Petrus Ramus
Petrus Rauennas
Petrus Sain.

Philel-

Philelphus
Philippus Gesualdus
Plato
Plautus
Plinius
Plutarchus
Pontanus
Porphyrius
Prutenius
Publianus

Q

Quinct. Mendos.

R

Rabanus
Rabbi Eleazar.
Robortellus
Rodolphus Agric.
Rupertus Abbas

S

Salomon
Sallustius
Seneca
Simon Lucensis
Simon Verepeus
Solinus
Strebeus

T

Terentius
Terentianus
Themistius
Theodoretus
Theophratus
Thomas Correas
Trapezuntius
Tuscanella.

V

Valerius Maximus
Virgilius.

Z

Zeno.

CATALOGVS AVCTORVM qui de rhetorica aliquid ſcripſere.

A


CHMI ars rhetorica.
Adriani Barlandi de amplificatione rhetorica.
Aeneæ Syluij lib. de rhetorica.
Alardi Aemſtelerdami deſcriptio rhetorica concionatoris, & hæretici ꝑ omnes locos Rod. Agric.
Alberti Leonij rhetoricæ lib. I.
Albini, ſeu Alcuini rhetorica cum ſcholijs Matthæi Galeni.
Alexandri Sophiſtæ de figuris ſententiarum, & de eloquutione.
Alphonſi Zorillæ de ratione concionandi.
Amandi Chabaſſij aphoriſmi rhetoricæ.
Ambroſij Quiſquel. de ratione concionandi.
Antonij Mancinelli ſcribendi orandique methodus.
Antonij Nibriſenſis tabulæ rhetoricæ.
Antonij Perſij nouæ poſitiones in rhetoricam.
Antonij Lulli progymnaſmata, & libri ſeptem de oratione.
Antonij Poſſeuini Cic. collatus cum &c.
Antonij Raberij tabulæ rhetoricæ.
Aphthonij progymnaſmata, cũ ſcholijs Audamari.

Apollo-

Apollonij lib. de figuris, & dialogi.
Apsini Græci rhetorica.
Aquilæ Romani de figuris.
Aristidis Græci rhetorica.

Arist. de rhet. ad Theodectē lib. 3. in quos extant.
Eiusdem de rhet. ad Alexandrū.

- Alpharabij compendiosa explicatio.
- Petri Victorij comment.
- Danielis Barbari schol.
- Maioragij com.
- Aegidij Romani. com.
- Dionysij de Burgo.
- Hermanni Schidis.
- Anton. Riccob. partitiones.
- Cyllenij tabulæ.
- Francisci Robortelli.
- Nyphi epitomę.
- Antonij Bernardi in primum & tertium lib. comment.
- Guidonis Ariminensis epito. siue scriptum, manuscriptum.

Arnobij presbyteri de rhetorica institutione.
Augustini Hipponens. de rhetoricę principijs liber. & libro 4. de doctrina Christiana.
Augustini Niphi epitomæ rhetorices Arist.
Augustini Cur. de imitatione.
Augustini Valerij rhetoricę Ecclesiasticę libri tres.

B

BArtholomæi Riccj de imitatione libellus.

Bartholomæi Latomij compendium Rodolphi Agric.

Bartholomæi Caualcantis Rhetoricæ libri septem Italice.

Bedæ presbyteri de schematibus.

Benedicti Ariomontani rhetoricorum lib. 4.

Bernardini Tomitani sermones, Italice.

Bernardini Parthenij de imitatione poetica.

Brunetti Latini in lib. de inuent. Cic. italice.

C

CHristophori Saxi Perusini de rhetor. lib.

Cœlij Calcagnini compendium rhetoricæ: eiusdem dialogus de memoria, & orationes.

Conradi Celtis epitome, seu index rhetoricę Ciceronis.

Conradi Neobani de inuentione.

Consulti Chirij Fortuniani rhetoricorũ libri tres.

Cornelij Valerij Vltraiect. Rhetorica.

Cypriani Soarij de rhet. lib. tres.

D

DAuidis Chytræi Rhetorica.

Demadis rhetoris fragmenta in uolumine ab Aldo excusso, vbi duodecim habes auctores qui de rhetoricis aliquid scripsere.

Demetrij Phalerei de eloquutione.

Diegi Stellæ de ratione concionandi.

Diegi Vallades de rhetorica Christiana.

Dinar-

Dinarchi Rhetoris, apud Aldum.

Dionysij Halicarnasæi rhetorica: de eloquutione, & compositione oratoris: de characteribus antiquorum oratorum.

Eiusdem de componendis nominibus.

Dionysij Longini de sublimi oratione.

E

ELoquentiæ pro gymnasmata. 8.

Emporij Rhetoris lib. de rhetorica.

Epiphanij de charactere epistolari.

F

FLacci Albini, qui & Alcuinus dicitur, lib. de rhetorica ad Carolum Magnum.

Francisci Siluij Ambiani progymnasmata in artẽ oratoriam centuriæ.

Francisci Robortelli de rhetorica facultate.

Francisci Sansouini de arte oratoria libro 3. italice.

Francisci Patritij de rhetorica dialogi decẽ italice.

Francisci Panicarolæ de ratione concionandi.

Furij Coriolani Valentini rhetorica.

G

GAsparini Grammatici de eloquẽtia tractatus.

Gasparini Bergomensis exordia manuscripta.

Georgij Vallæ institutio Rhetoris, & de rhetorica lib. 2.

Georgij Trapezũtij rhetoricæ lib. 5. absolutissimi.

Georgij Cassandri tabulæ rhetoricæ

Georgij Acanthij partitiones in 4. lib. rhetoricorũ

ad

ad C.Herennium.
Georgij Goſſij de eloquutione.
Gerardi Voſſij artis rhetoricæ methodus, qua per quæſtiones rhetoricæ præceptiones tractat.
Gerardi Bucoldiani de inuentione.
Gulielmi Cathelinæi Andini rhetoricæ lib. 2.
Gulielmi Tardiui rhetoricæ artis compendium.
Gulielmi Pariſiẽſis de rhetorica diuina, ſiue potius de precatione recte facienda.

H

HENRICI de Kalkar rhetoricę loquagium.

Hermogenis Tharſenſis ſophiſtæ rhet. lib. cum ſcholijs.
- Sirinani.
- Sopatris.
- Marcellini.
- Troili Sophiſtę.
- Maximi Planudis.
- Hilarionis Monachi paraphras.
- Priſciani ex Hermog. præexercitamenta.

Hieronymi Paduani, de neceſſarijs oratori, de rhetorica, & oratore: de exordio & eius partibus: de omnibus partibus rhetoricæ: de argum. rhe. &c.
Hieronymi Caphari epitomæ rhetorices.
Hieronymi Regij de copia rerum, & uerborum, de & figuris in ſuis comment.
Hieronymi Maſcheri Mantuani de floribus rhetoricæ lib. 2. Italice.
Horatij Tuſcanellæ armonia, Italice. Eiuſdem applica-

plicationes præceptorum rhetoricæ.
Huldrychi Zasij rhetorica legalis.

I

IAcobi Lodouici Strebei de verborum electione, & collocatione oratoria lib. 2.
Iacobi Brocardi partitiones oratoriæ, quibus omnia quæ docuit Arist. breuiter complexus est.
Iacobi Locher Philomusi compendium rhetoricæ.
Iacobi Vuercheri præcepta rhetoricæ.
Iacobi Publicij epitomæ oratoriæ artis, & de arte memoriæ.
Iacobi Vuimphelingij præcepta rhetorices.
Iacobi Omphalij de eloquutionis imitatione, & apparatu.
Iacobi Peresij rhetorica Ecclesiastica.
Iacob. Maz. in suis conclusionibus de rhetorica. a nu. 2304 ad 2488.
Iacobi Gorcij de figuris grammaticis & rhetoricis lib. 5.
Iani Parrhasij breuiarium rhetorices.
Iasonis Nores introd. in rhet. italice.
Ioachimi Fortij rhetorica, & libellus de formis dicendi.
Ioachimi Ringelbergij rhetorica.
Ioan. Ludouici Viuis rhetor. lib. 3. eiusdem de corrupta rhetorica lib. 1. & de traden. discipl.
Ioan. Marinelli de recta sermonis iudicandi ratione manuscrip.

Ioan.

Ioan. Butini ad figuras Iſagoge.
Ioan. Deſpaut. de figuris.
Ioan. Boteri de prædicatore uerbi Dei lib. 5.
Ioan. Iacobi Vuerkeri oratoriæ artis præcepta ex Ariſt. Cicer. & Hermog. tabulis compregenſa.
Ioannis Suſembroti epitome ſchematum & troporum.
Ioan. Aloy & Annibalis Mareſcotorum fratres artis rhetoricæ commentarius.
Ioan. Meriſoti de parechemate, contra Ciceronis calumniatores,
Ioan. Matomeros compluten. rhetorica.
Ioan. Cæſarij de rhetorica tractatus ſeptem.
Ioan. Franc. Pic. in lib. 1. c. 6. & lib. 2. 4. Examinis uanitatis doctrinæ gent. nulla habet ad hanc artem pertinentia. eiuſdem epiſt. de imitatione ad Petrum Bembum.
Ioan. Mariæ Memi orator italice.
Ioan. Voellij generale artificium texendę orationis cuiuſcunque generis.
Ioan. Monhemij epitomæ rhetor.
Ioan. Paculi Gallutij de formis enthymematum.
Ioan. a Foſſa partitiones oratoriæ.
Ioan. Retorforti de arte dicendi lib. 4.
Ioan. Sambuci de imitatione Ciceroniana Dial. 3. & quod oratores cognoſcendi ſint ante poetas.
Ioan. Andreæ Gilij topica poetica.
Ioſephi Racendytæ de rhetor. & de copia rerum, & artificio oratorio.

Iouitæ

Iouitæ Rapicij de numero oratorio, & de periodis lib. 5.

Isidori de rhetor.

Iulij Rufiniani de figuris.

Iulij Camilli theatrum eloquentiæ.

Iulij Rogerij opuſculum de rhetorica, in quo uſus rhetoricæ in Theologia oſtenditur.

L

LAurentij Palmireni prolegomena in rhetoricam, & topica.

Laurẽtij Antiqui ſumma rhetoricarum præceptionum, & de eloquentia.

Laurentij à Villa Vicent. de ratione concionandi.

Leonardi Aretini rhetorica.

Lucæ Ballioni de ratione concionandi.

Ludouici Granatenſ. rhet. eccleſiaſticæ libri ſex.

Ludouici Carbonis de arte dicendi libri duo: de oratoria & dialectica inuentione libri quinque. de eloquutione lib. quattuor, de diſpoſitione oratoria lib. vnicus, de quæſtionibus oratorijs libri duo, de cauſſis eloquentiæ lib. 4. de officio oratoris libri 5.

M

M. Tullij Ciceronis.

De inuent. libri duo, cum { Cõment. M. Fab. Vic. | Caſtigat. Mar. Becic. | Bruneti Latini. | Antonij Ricob. Comment. in lib. de inuent. }

Boethij

Topica, cũ cõment. vel ſcholijs.
- Boethij.
- Georgij vallæ Placentini.
- Ioan. Viſorij Cœnomani.
- Bartholomæi Latomi.
- Petri Vellij Gueuarę.

Partitiones, cũ comment. vel ſcholijs, &c.
- Iacobi Lod. Strebei.
- Georgij Vallæ Placent.
- Barthol. Latomi.
- Maioragij.
- Claudij Min. tabulæ & Syntag.

Lib. 3. de orat. ad Q. Frat. cũ com. vel ſcho.
- Iac. Lodo. Strebei.
- Fabij Paul. in lib. primum.
- Audomari. Talæi.

De claris orat. ad Brutũ, cum cõmẽ. & ſcho.
- Victoris Piſani.
- Auli Antonij Palmirȩni.
- Ant. Riccobon.

Orat. ad Brut. cũ cõmẽ. ſcho. & caſtig.
- Iacobi Lod. Strebei.
- Marini Becichemi caſtigat.
- Ioan. Riuij caſtig.
- Petri Victorij caſtig.
- Victoris Piſani.

De optimo gener. orat. cum comment.
- Achillis Statij.
- Pet. Rami.
- Ioan. Antonij Viperani.

M. Fabij Quinct. cum ſchol.
- Moſel.
- Camer.
- Leodegarij a quercu,
- Antonij Pini com. in lib. tertium.

M. Ioan-

M. Ioannes Herbetius de oratore lib. 5.
Martiani Capellæ Rhetorica.
Marij Philelphi rhetoricæ lib. 3.
Martini Crusij rhetorica. 8.
Matthęi Camariotæ epitomę rhetoricę Hermog. & quædam rhetorica sub eius nomine excussa.
Matthæi Bossuli, Parisiens. institutiones rhetoricæ, cum scholijs contra Petrum Ramum.
Matthæi Colatij de fine oratoris in Quinct. pro Cicerone contra Victorinum, & Quinct. vbi refellit quosdam horum auctorum errores.
Matthęi Cardeni Cochani rhetoricę Institutiones.
Melchioris Methodus eloquentiæ comparandæ. Eiusdem scholæ Rhetoricæ 8.
Menander rhetor de genere demonstratiuo.
Michaelis Angeli Blondi rhetorica italice ad vsum Causidicorum.

N

NAtalis Comitis de terminis rhetoricis libri tres.
Nicephori Blemmidæ ars compendiaria differendi, interprete Greg. Val.
Nicolai Romani Pruceni de arte rhet. lib. 4.
Nicolai Liburni Veneti de compendiosa eloquutione.
Nicolai Beraldi de extemporali dicendi facultate.
Nicolai Biesij Andegauen. de arte dicendi lib. duo.

P

PAlemonis rhetoris & sophistæ orationes.
Papiæ de ordine dicendi.
Pancei cuiusdam rhetorica, in Vatic. Bibliotheca.
Petri Rami Rhetoricæ distinctiones in Quinctil. Brutinæ quæstiones in Ciceronem de perfecto oratore. Eiusdem quæst. rhetoricæ.
Petri Langerij orator quis dicendus.
Petri Mosel. de figuris.
Petri Bembi de imitatione sermonis lib. 1.
Petri Guntheri de arte rhet. lib. 2.
Phębamonis Sophistæ liber de arte rhetorica, apud Ioan. Sambucum.
Philippi Beroaldi de facultate dicendi ex tempore.
Platonis Gorgias, de rhetorica.

R

RAimundi Lulli isagoge in rhetoricam.
Raphaelis Cyllenij tabulæ in rhetoricā Arist. & Demetr.
Raphael Regius in oratoriam institutionem, conclusiones circa rhetoricam contra Calphurnium.
Rodulphi a Tussignano, de ratione concionandi.
Romani Aquilæ lib. de figuris.
Rutilij Lupi de figuris.

S

SEbaſtiani Pontani Delphin. de emendata orat.
Serapionis rhetorica.
Simonis Pauli Sucrienſis diſputationes rhetoricæ.
Eiuſdem methodi ad orationes & conciones faciendas.
Sopatri quæſtiones de componendis declamationibus, in cauſſis præcipue Iudicialibus, græce.
Eiuſdem prolegomena in Ariſtid. de rhetorica.
Speroni Speroni dial. de trib. generibus cauſſarũ, vtrum pręſtantius, italice.
Stephani Plazonij præexercitamentorum, & rhetoricæ compendium.
Stephani Caroli oratorium artificium.
Sulpitij Victorij oratoriarum inſtitutionum præcepta: vel de arte oratoria.

T

THeonis Sophiſtæ rhetorica progymnaſmata.
Thrachelai tabulæ rhetoricæ.
Thomæ Correæ de eloquentia libri quinque.
Thomæ de Truſil. de ratione concionandi.

V

VAlentini Erythræi tabulæ in partitiones oratorias Ciceronis.
Vincentij Belluacenſ. de rhetorica ſpeculi doctrinalis lib. 4.

AVCTORES INCERTI.

Auctor ad Herenniū lib. 4. quos alij Gallio, alij Cornificio, alij Ciceroni tribuunt. Cum commentarijs, siue scholijs.

- Ascentij.
- Mancinel.
- Franc. Maturant.
- Guarini manuscrip.
- Iodoc. Badij.
- Marini Becichemi castigationes.
- Hieron. Capiduri.
- Gyliberti Longolij, & Claudi Pontani.
- Reinhardi Lorichij tabulæ.

Auctoris incerti de rhetorica liber, una cum Sulpitij Victoris oratorijs præceptis.

Dialogus incerti auctoris de oratoria secūdum Platonem Bessarione interprete.

Synopsis rhetoricæ græca, & de rhetorica lib. 2. in Vatican.

Index eorum fere omnium, quæ rhetores in orationem venire asserunt, libellus excussus Argentorati.

DE VTILITATE LAVDIBVS RHETORICAE & eloquentiæ orationes variæ.

Valentini Erythræi.

Omnibonis Leoniceni.

Raphaelis Regij.

Augu.

Augustini Dathi.
Conradi Celtis.
Philippi Beroaldi.
Aeneæ Syluij. Epist. 64.
Angeli Decembrij.
Gilberti Cognati contra rhetoricam.
Ioan. Pic. epist. ad Barbar.
Gratiam naturalem plus persuadere, quam eloquentiam, Marsil. Ficin.
Quantum momenti in pronuntiatione, & apto motu corporis, Fulgosius. Valer. Max. lib. 8. cap. 10. Senec. lib. 5. epist. 40.
De oris multiplici uitio Cœlius. idem de Chrijs, & de panegyricis. lib. 19. c. 12.
Nasci poetam & fieri oratorem, an sit uerum. 7. 4.
Philosophiam moralem esse utilē rhetoricæ Otho Vuerdmyllerus, lib. 1. c. 16.

SCRIPTORES DE MEMORIA.

Auctor Herennianus.
Cosmus Rosellius.
Fabius Quinctil.
Franciscus Petrarca.
Franciscus Sansouin.
Franciscus a Monteleone.
Gulielmus Gratarola.
Iacobus Publicius.
Iacobus Anton. Marta Florent.
Ioan. Bapt. Porta.

Io. Rom-

Ioan. Romberch.
Ioan. Metzingerus.
Ludouicus Dulcius.
M. Tullius lib. 2. de orato.
Petrus Guntherus.
Petrus Rauennas.

DE CONFICIENDIS EPIST.

Libanius Sophiſta.
Valent. Erythr. de conſcrib. epiſt.
Rocchus Pilor. Peruſinus.
Lippus Brandol. lib. 2. de gener. epiſt.
Iuſtus Lipſius.
Ludouicus Viues.
M. Georgius Macropedius.
Ioan. Voellus e Societ. Ieſu.
Federicus Nauſea.
Melchior Iunius ſcholiæ rhetoricæ, & de conſcribendis epiſt.
Aloyſius Antonius de conſ. epiſt.
Hieronymus Capharus.

Ne quid in folio esset vacui, adiecta est hæc in Culicem Elegia.

QVID tantos demum strepitus clangente susurro,
Tantaq; præcipiti murmura nocte mouet?
Nunc patulas alis vexat stridentibus auras,
Nunc subito præter lumina cęca volat.
Quid faciam incertũ est: palmis cõprehendere coner?
Effugit implicitas vt leuis aura manus.
Pellere contendam baculo? domus illicet alta
Remigio alarum tecta suprema petit.
Occidam duros conuerso cardine postes?
Præstabit faciles paruula rima vias.
Peruolitare sinam? spes est mihi nulla quietis;
Corda licet iam iam sommus anhela premat.
Circundentq; licet fæcunda papauera lectum,
Et crepitante piger riuus inundet aqua.
Quo sæpe insomnis iaceo luctamine fessus
Dum monstrum omnino triste fugare placet.
Certe adeo grauibus capitis cruciatibus angor,
Atque adeo ingenti sæpe labore premor.
Vt nequeam noctem turbato corde per omnem
Molia Hymenæi carpere dona Dei.
Vix parum demum infelix degusto soporem
Cum medium flagrans æthera Phœbus habet.
Quod genus hoc monstri? quib. aut genitorib. ortum?
Aut vnde extemplo sole cadente furit?
Scilicet occultis illud cognoscere signis,

An

An quod amat noctem, nocte parente satum est?
Si cum matre sua pariter surgitq; , caditque,
Cum uenit, ille uenit, cum fugit ille fugit.
An quod amat longis obscura recessibus antra,
Et stygijs forsam deuorat illud aquis?
Infœlix ego sum, monstro qui vexor ab isto,
Cui patria est orcus, noxque profunda parens.
Non me dulcisonos permittit condere versus,
Dum rapide horrisono murmure cuncta replet.
Non sophię campos patitur lustrare nitentes,
Dum pacem abrumpit, diraque bella ciet.
Ambulo? terrificis perstringit lumina pennis,
Ne videam tardos quod iacet ante pedes.
Cesso? Cauas intrat magis clangoribus aures,
Et crebro insistit qua via certa patet.
Quę te sęua in me mouet inclementia fati,
Fare culex? quę te numinis ira mouet?

Maiora menda sic emendato.

3.pagina. uersu.24.in o. p.5.u.21. hoc. p.6. u. 10. diuidi. p.9.u.6.in.p.17.u.3 quodq;.p.22.u.16.solum.p.25.u.2. obscuris.p.31.u.24.ratione.p.36.u.3.permouendo.p.48 u.8.oratore.p.55.u.26.fine.p.59.u.8 fatemur.p.67.u.8. iuuenil.morũ.p.68.u.2.bona.25.docent.p.74. u.1. erit. 12.distrahit.p.77.u.29.parum grauis.p.80.u.5. gratia. p.40.u. 27.ridiculis.p.96. u.12. ridendum. p.98. u. 22. idoneum. p.111.u.5. hac. p.140. u.15. ex.p.164. u. 7. diligenter.p.168.u.3. humanas.16.pręcepta.p.175.u 4. negaret.p.187.u.24. subijcio.p.228.u.8.qualem.9.Crassus.p.231.u.7.sit.p.245.u.2.nomé.p.293 u.16.oratione. p.295.u.24.delectare.p.302.u.28. uariato, p.337. u.3. imitatione.p.357.u.7.diligens.p.395.u.9.singulorum.



DE OFFICIO ORATORIS LIBER I.

In quo de officio docendi agitur.

Quid & quotuplex ſit officium, & quæ huius operis utilitas. Diſputatio. I.

MIHI *ſæpenumero cogitanti, quodnam argumentum ſuſcipi poſset ab eo tractandum qui reip. humanæ plurimum prodeſſe ſcribendo uellet; de rerum omnium uſu atque abuſu digniſſima occurrebat tractatio. Quandoquidem, nihil eſt quod in humana ſocietate plures lites procreet, plures diſcordias & diſſenſiones excitet, pluraque damna & maiora incommoda in communem uitam inferat, quam quod homines artibus & rebus omnibus ad eum finem non congruenter utantur, ad quem factæ atque inſtitutæ ſunt, & ſuo quiſque recte non fungatur officio. In cuius utiliſſimi argumenti explicatione, quod ſciam, hucuſque uerſatus eſt nemo. Et quoniam hęc ampliſſima diſputatio multam ac uariam requireret do*

ctrinam, otiumque sane longum, quibus nos rebus minime abundamus; propterea hanc prouinciam intactam relinquemus, & alijs eam proposuisse sat nobis erit.

Cæterum, cum iam de oratoria facultate multos libros in lucem dederim, ne quis tam necessaria, tam communi, tamque potenti arte, uel ad suam, vel ad alienam perniciem, quod interdum usu uenire solet, abutatur, de oratoris officio, quo nullum fortasse maius & difficilius in humanis artibus reperitur, mihi ex officio aliquid scribendum esse iudicaui. Pluribus itaque libris de re proposita ea docebo, quæ ad rectũ eloquentiæ usum, & ad munera oratoria bene exercenda cognitu sunt necessaria.

Dicam itaque primo de officio quędam uniuerse; deinde quot & quæ sint oratoris officia; postea de officijs singulis: ac postremo quę in oratore desiderentur partes, ut bene suo vtatur officio explicabo.

Et quoniam obscure et imperfecte de re proposita ageretur, ni prius quid, & quotuplex sit officium explicaretur; ideo hac prima disputatione hæc duo potissimum a nobis exponenda sunt. Et ut quæ dicturi sumus melius intelligantur, quasdam dubitationes in medium afferemus, quæ quo eundum sit, nobis indicabunt.

Primum, hæc de officio oratorio tractatio, non ad Rhetorem, sed ad Philosophum qui de moribus agit, pertinere uidetur: quandoquidem officium ad honestas actiones refertur, de quibus nihil dicendi

magi-

magister præcipit.

Deinde, is de artium officio disputare debet, qui omnes artes tenet, qui omnium artium didicit discrimina, & quid cuique proprium sit intelligit; at hoc pertinet ad Peritum, hoc est ad eum qui omnium artium doctrina est imbutus: oratorij igitur officij explicatio non erit rhetorica.

Præterea, oratoris officium dicitur esse, Apte dicere ad persuadendum; at hoc munus explicatur in ea Rhetoricæ parte in qua de eloquutione disseritur: igitur nihil aliud de officio oratorio tractandum restat: ac proinde frustra a nobis hæc suscipitur disputatio. Quinct.

In huius primæ disputationis explicatione, cum in re minime dubia uersemur, nullæ occurrunt citandæ sententiæ: ad fundamenta itaque accedo, in quibus de officij nomine atque natura breuiter disputabo.

Primum fundamentum, cum officium in Latina lingua uarie usurpari soleat, ut qua ratione hoc vocabulum a nobis in præsētia sumatur intelligi queat, uarias eius significationes priore loco afferemus. Et ut ab eius notatione auspicemur, officium, ut aliqui scribunt, dictum est ab efficiēdo, ut dicatur officium, quasi efficium, e, mutata in e, ob maiorem uocis suauitatem: officium enim id esse dicitur, quod quisque pro suæ personæ conditione debet efficere. Sunt tamen qui a uerbo officio, quod nocere significat, ductū fuisse uolunt, per Antiphrasin, quod minime officiat sed potius prosit, ita ut præpositio, Ob, non contra, Donat.

Ambr.li. 1. offic. sed circum significet, cum officio circa id uersemur, quod nobis faciendum est. Huius uocis hæ sunt magis vsitatæ significationes. Officium aliquando ponitur pro beneficio; ut cum dicimus, certare officijs, pro mutuis officijs, exprobare officium: aliquando Plin. pro dignitate & magistratu; ut cum Plinius iunior dixit, distringor officio: aliquando pro obsequio & honore; ut cum dicitur, officij causa aliquem adire: aliquando pro actione cum honestate & uirtute coniuncta, recteque rationi & naturæ consentanea, quo modo accepit Tullius ĩ libris quos de officijs ĩcripsit: denique officium dicitur id quod unaqueque ars siue persona pro susceptæ uitæ ratione efficit, aut efficere debet, quo modo Grammatico, Poetæ, Medico, & alijs artificibus suum tribuitur officium, & propria ex arte functio: & hoc pacto a nobis in hac tractatione sumetur, & sequenti fundamento definietur. Cic. ad Att. lib. 16. Quod nos officium dicimus, Græci τὸ καθῆκον uocant, ἀκατὰ, & ἥκω id est uenio, sic dictum, quasi conueniat: atqui Latina appellatio paullo plenior, neruosior, & expressior, quam græca esse uidetur.

Secundum fundamentum; ut adhuc multo melius quid nomine officij intelligatur, & quid sit officium illud de quo querimus, doceamus, nonnullas officij diuisiones, prout officium quandam designat functionem in medium afferemus. Officium igitur ut functionem alicui personæ conuenientem significat, duplex est: alterum, quod est cum uirtute coniunctum, quod cuique homini congruit, prout homo honeste uiuen-

uiuendo ad beatam uitam tendit: ad quod officium præstandum omnes homines eodem modo sunt obligati; cum conueniat homini, ut homo est, nimirum ut est animal rationis particeps, & ad beatam uitã pergit: de quo officio, qui mores tractant, ij agunt Philosophi: alterum quod non est neceßario cum uirtute coniunctum, quod conuenit homini ratione alicuius personæ, aut muneris suscepti, siue artis, quam profitetur; quod qui exequitur, qui prestat suo dicitur fungi munere; ut cum Medicus idoneam parat potionẽ ad sanandum: quo modo discimus aliud nautæ, aliud militis, aliud agricolę, aliud Principis, aliud subditi, siue deuoti, aliud uxoris, aliud mariti esse officium. Officium primo modo sumptum, hunc in modum non male diuideres: Officium, aliud pertinet ab beatam uitam, et ad hominit finem; quo pacto, eorum qui beatitudinem sunt adepti officium esse diceres, æuo perpetuo diuinum numen laudibus celebrare: aliud quod in actione uitæ positum est, de quo uaria traduntur præcepta, quibus uitæ usus formari, & ad felicitatẽ perueniri poßit. Hor rursus duplex. alterum perfectum & absolutum, quod Greci κατόρθωμα, quasi recte factum uocant: ducto uocabulo a uerbo κατορθόω, quod cum uirtute, uel aliquid excellenter facere significat. Cicero rectum, & recte factum traducit: Si uerbum uerbo reddere uelles, quod secundum rectũ, id est, secundum uirtutem factum est, diceres. Hoc officium uiris tribuitur perfectis, quod nostrates ad consilia referrent: & a Stoicis in solo sapiente pone Cic. lib. 1. offic. Ioan. Visor.



batur; qui non ſolum efficit, ſed etiam recte efficit: non ſolum reddit depoſitam, ſed etiam recte reddit. Alterum medium & inchoatum, quod hominibus bonis tribuitur; & ad aliquem uſum ſumitur: cuius cur recte ſit factum, probabilis redditur ratio. Hoc noſtri, quod ad præceptorum obſeruationem pertinet, uocarent, quamuis iſtę appellationes non ſint omnino pares. At de his officijs Philoſophi morales & Theologi accuratius diſputent. Alterum iuxta uarios hominum ſtatus et artes diuide poteſt; de quare nos nihil dicemus: cum hoc efficere ad Peritum pertineat, deſcribemus tamen; ut quod ſit oratoris officium melius doceri poſſit. Rurſus officium duplex eſt: alterum uerum, quod alicui uirtuti, aut honeſtæ arti tribuitur, & utilitatem aliquam ſecum affert; alterum falſum & pernicioſum, quod alicui uitio & deprauatę arti tribui ſolet, quo modo dicimus, officium aſſentatoris eſſe ad gratiam loqui, & officium mali mercatoris fucare merces. Atque hæc ſunt, quę adnotaſſe volui; cætera in poſitionibus dicentur.

Prima poſitio, agere de officijs morum pertinet ad Philoſophum moralem: de quibus nos nihil, cum, ut infra demonſtrabitur, poſſit Orator recte ſuo officio fungi, etiamſi non ſit bonis moribus ornatus.

Secunda poſitio, agere de perſonarum artiumque officijs ea diſtinguendo, et ſingulis ſuũ attribuẽdo pertinet ad Peritum. Is enim ſolus, cum ſit omnium artium cognitione prędictus, officiorum diſtinctionem aſſigna-

assignare, & quod cuiusque artis sit officium docere potest.

Tertia positio, explicare priuatim quod sit cuiuscunque facultatis officium, & quomodo præstandum sit, ad eam artem spectat, quæ illud exequi debet. quare, docere, quo pacto Orator suo debeat munere fungi, eius erit artis, quę oratorem informat, nimirum Rhetoricę. Doctrina est manifesta: quoniam tota ista explicatio pendet a fine, qui in tali arte consideratur, ut infra planius dicetur.

Quarta positio, officium uniuerse sumptum, hunc in modum describi solet, officium est cuiusque personæ secundum uitæ statum conueniens, ac debita actio: quo modo dicimus, officium Senatoris, Iudicis, consulis, Episcopi, & aliorum. Alij hoc modo describunt, officium est uniuscuiusque personę actus congruens secundum mores ciuitatis: uel simplicius cum Tullio dicas, officium est id, quod facere quis debet. In vnaquaque enim arte officium est id quod artifex præstare, & ad finem consequendum efficere debet. In arte dicendi, officium esse dicitur, Apte dicere ad persuadendum: quo fit, vt totum in actione & usu sit positum: de quo planius sequenti disputatione agetur. Officium vero, vt ad mores refertur, hunc in modum a quibusdam describitur, officium est actio in omni uita, cum uirtute & ratione coniuncta: quam descriptionem in suis defensionibus in Ciceronem de officijs refellit Grifolus, & in suis decisionibus Maioragius; qui hoc alio modo definiuit, officium est

Prut.

Par.c.12.

Lib.1. de inu.

cœl.cal.

Grifol.

actio in omni uita hominum, cuius probabilis ratio reddi potest.

Quincta positio, id quod unaquęque ars præstare debet, Græci τὸ ἔργον, uocant, latine, opus: qua uoce interdum usus est Cicero; ut cum legitima et propria oratorum opera, pro officijs, & opus oratorum fieri, aut perfectum esse, dixit. At uero Romani, officium, opus, munus, functionem, & partes appellare solent.

In Brut.

Sexta positio, hæc de oratoris officio tractatio est maxime utilis & necessaria. Hanc positionem satis ex se claram, ex eo confirmare licet, quod de omnium fere artium atque personarum officio priuata oposcula scripta sunt; ut de officio Aduocati, Legati, Medici, Episcopi, & aliorum. Et sane frustra omnis disceretur ars, si qua ratione ad usum per eius officij cognitionem redigenda est, esset ignotum. Ut omittam, quod in hac tractatione ea explicabuntur, quæ maxime ad artem dicendi plene cognoscendam & tradendam pertinent; & præcipue quę ad decorum seruandum sunt cognitu necessaria: ad quod demonstrandum hæc docta Horatij carmina faciunt.

Qui didicit patrię quid debeat, & quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus, & hospes,
Quid sit conscripti, quod iudicis officium, quæ
Partes in bellum missi ducis, ille profecto,
Reddere personæ scit conuenientia cuique.

Accurate, itaque de docendi, delectandi, mouendique

lique ratione, quæ Oratoris officia esse, dicuntur, hoc opere, fauente Deo, nobis agendum est. Et quoniam omnes alias Rhetoricæ partes integris libris exposuimus, preter actionem & memoriam, de his duabus hoc eodem opere agemus. Atque hæc sunt, quæ in hac prima disputatione ponenda iudicaui: restat vt in contrarium allata soluamus argumenta.

Ad primum, Philosophus moralis agit de humano officio uniuerse: Orator vero solum de suo: ille de officijs morum, hic de officio artis.

Ad secundum, cõcedo Peritum agere de omnium artium officio vniuerse, vt eorum distinctionem pro artium diuersitate assignet: tamen priuata explicatio officij cuiusque artis, ad priuatos pertinet artifices; cum quo artis præcepta referenda sint, & qui eorum sit usus, hi melius noscant.

Ad tertium, eo loco explicatur quidem generatim oratoris officium, dum docetur, quid sit apte dicere: at vero ista aptitudo accuratius in singulorum officiorum explanatione demonstranda est, quod hoc loco facturi sumus.

Quot & quæ sint Oratoris officia. Disputatio. II.

N*Atura officij uniuerse sumpti exposita, propius ad nostrum instiuutum accedendo, an unum, an plura sint Oratoris officia examinandum est: quæ res non nihil difficultatis habet, ut sequentes*

tes demonstrabunt rationes.

Primum, unum tantum esse uidetur Oratoris officium, apte dicere ad persuadendum: quod non uno in loco docet M. Tullius, quem cęteri sequuntur: quę argumentatio sic confirmari potest: tota officij ratio sumitur a fine: atqui unus est Oratoris finis, igitur & officium unum.

Deinde, videntur esse tria, docere, mouere, & delectare, id quod uno ore omnes bene dicendi docent artifices.

D. Aug. in Rhet. *Præterea, videntur esse plura, quam tria; quoniam multi sunt qui scribunt, quinque esse Oratoris officia, inuenire, disponere, eloqui, memorię mandare, ac pronuntiare: & Cicero in Bruto, requirit in Oratore digressiones, miserationes, conquestiones, & indignationes, igitur.*

Postea, ea hic apparet difficultas, quod dicendi magistri non videntur sibi constare in rebus, in quibus oratoris officium positum esse tradunt: Nam aliquando in apte dicendo ponunt: aliquando in docendo, delectando, ac mouendo: aliquando in tractandis tribus caussarum generibus: aliquando in videndo quid, quo loco, & quo modo dicendum sit: & denique alij alijs in rebus positum esse dicunt.

Ad hæc, omnes fere Rhetores summum magistrum Ciceronem sequentes, dicunt, Apte dicere ad persuadendum esse Oratoris munus: atqui hoc videtur falsum: quia officij ratio a fine sumenda est: at vero persuadere est commune Rhetoricę cum omni-

bus

bus artibus: non erit igitur eius officium apte dice-
re ad persuadendum cum officium debeat esse quid
proprium. Atque has rationes alijs missis, attulisse
sufficiat.

Quod ad auctorum opiniones attinet, Fabius, &
qui eum sequuntur scriptores, dum affirmant Ora-
toris finem eße bene dicere, siue, quod idem est, apte
dicere ad persuadendum, inter finem & officium
non distinguunt. Quod si pro Fabio diceres, officia Lib. 3.c. 5.
esse docere, mouere, & delectare, seu inuenire, dispo-
nere, eloqui, memorię mandare, & pronuntiare, hoc
nihil est, quia hęc sunt officia singula, nos de uno,
summo, hic speciatim loquimur. Alij vero, vt Quin-
ctilianus libro quincto in proœmio refert, vnum tan
tum ponebant officium quod est, docere. Alij, eodem
referente, tres unius communis officij fecerunt par-
tes, quę sunt, docere, delectare, & mouere. At com-
munis Rhetorum sententia cum M. Tullio facit, qui
oratoris officium ait esse, Apte dicere ad persuaden
dum, vel quod idem est, Bene dicere, seu, Nihil eo-
rum prętermittere, quæ adiumentum aliquod affer-
re possint ad persuadendum: hoc tamen in alias par-
tes distribuunt, ut postea docebo. Vt autem quæ &
quot sint oratoris munera plane exponam sequentia
pono fundamenta.

Primum fundamentum, functiones in quacun- Ad Trasib.c.2.
que arte, ut pręclare pręter alios docuit Galenus, & 27.
ex fine distinguendę sunt; cum illę pręcedant, hic Para.ca.
uero sequatur: sine cuius notitia, quid sit officium re 12.
cte

cte definiri & intelligi non potest: finis .n. est omnium quæ in aliqua arte traduntur ratio. Quo fit, ut qui ista duo non distinguunt, in utroque assignando facile errent. Ideo M. Tullius de fine & officio Rhetoricæ agendo, eleganter & docte vtrunque distinxit, & definiuit. Inter officium autem & finem, inquit ipse, hoc interest, quod in officio quid fieri, in fine quid officio conueniat, consideratur: ut Medici finem dicimus esse, curare apposite ad sanandum; finem curatione sanare: officium est id quod facere quisque debet; finis id cuius causa facere debet: officium est artis opus, finis operis terminus; ad quem tamen non semper artifex peruenit, præsertim si ars ex earum sit numero, quæ in coniectura versantur. Nec propterea dicetur artifex non fuisse recte suo functus officio; cum ipsa etiam natura, qua nihil est certius, non semper ad propositum sibi finem perueniat. Valeant igitur, qui dicunt oratoris finem non esse persuadere; ea de caussa, quod non semper persuadeat: & qui ut Fabium cum Cicerone concilient, duos fingunt fines, intrinsecum & extrinsecum, hoc est, bene dicere, & persuadere: uel ideo, persuadere, non esse finem affirmant, quia alio refertur, ut ad reip. conseruationem; cum id non in ipsa arte fiat. Nec .n. recte diceres, frenum non esse finem eius artis quæ fræna facit, quamuis ad artem equestrem referatur. Neque etiam, quod alia multa persuadent, ut tabulæ, pulchritudo, adulatio, & similia, & aliæ quoque artes docendo persuasionem aliquam, gignunt, persuadere

Lib. 1. de inu.

Arist. li. 2. Phi.

Pontan.

Arist. 1. eth.

Prut. li. c. 8.

dere

dere, non erit oratoris proprium; cum non quocunq; modo, sed dictione, hoc est optimis sententijs, ornatisque uerbis persuasionem quandam popularem, non didascalicen, sed pisteuticen orator faciat: sed de his alibi fuse diximus. Nunc pro certissimo habeamus, oratoris finem esse persuadere, ut inde quod sit eius officium perpendere liceat.

Secundum fundamentum, docte Galenus, scribens ad Trasibulum, artium officia, partim in singulis earum functionibus, partim in generibus uniuersis posita esse docuit. Quam doctrinam exemplis ex ea arte quam tractabat sumptis, hunc in modum explicuit. Si de singulis functionibus loquamur, Medici officium est eluere uulnus, admouere cucurbitulas, ligare vulnera, & id genus alia efficere. Si vero de vniuersis, eiusdem officia sunt, medicamentis uti, uictus rationem prescribere, manu aliquid efficere, ad quod omnes functiones facile reuocares: & tandem, hoc uniuerso munere, Apposite curare ad sanandum continentur omnia: atque idem in alijs artibus dicendum est. Quo fit, ut mirum uideri nō debeat, si scriptores in assignādis artium officijs nunc plura, nunc pauciora, nunc hęc, nunc illa assignant, ut infra in positionibus, de Rhetorica loquendo, planius demonstrabo. A cap. 22 ad 27. Prut. li. 1. c. 6.

Tertium fundamentum, in quo cur tria potissimum esse dicantur oratoris munera, de quibus disputaturi sumus, exponendum est. Cum ergo unum sit oratoris munus, si uniuerse loquamur, Apte dicere

ad

ad persuadendum; uidendum est, quibus instrumentis hunc finem consequatur, ex quo uniuersi officij partes colligendę erunt; hęc autem sunt, fides, siue cognitio, delectatio, & motus: quandoquidem, dum docet, delectat, ac mouet, persuasionem gignit, aut saltem apte ad persuadendum dicit. Numerus autem instrumentorum quibus suo recte fungitur munere, finem ve consequitur, ex partibus animorum quos tractat, colligendus est. Sunt autem in hominum animis partes duę, (missam facimus in pręsentia eam qua alimur & uiuimus) una rationis consilijque particeps: altera rationis expers, agrestis, immanis, communis hominibus cum bestijs, in qua sunt sensus omnes, motusque & perturbationes; illa tota consilio & ratione gubernatur; hæc sine ratione & consilio impetu quodam fertur. Hęc a Physiologicis in duas distribuitur partes; quarum altera concupiscens dicitur, quæ voluptate alitur, ac proinde ea quę delectant expetit, et perquirit: altera irascens, in qua irarum uiget ardor, quę impetu quodã id refugit, quod nocet, quod repugnat. Et quoniam Dialectici ea quę dicunt non accommodant ad animos tractandos, sed solum ad rem ipsam docendam; ideo illa tantum ad persuadendum assumunt, quæ ad docendum, & ad eam partem quę est rationis particeps capiendam sunt accommodata. At vero oratores, qui non solum quid in re sit ostendere, sed etiam quod sibi proponunt persuadere conantur; duobus ad persuadendum instrumentis utuntur: altero quo rationem doceant

Arist. li. 1. Eth. c. ult.

ceant

ceant & capiant; altero quo partem agrestem, & rationis expertem impellant, & permoueant. Motuum autem vt infra planius dicetur, duo sunt genera: alij leniores, quos Græci ἤθη, Cicero, Mores appellare solet; alij maiores & vehementiores, quos illi πάθη, nos perturbationes, concitationes, permotionesque nominamus. Illi motus appellantur Mores, qui conficiuntur significatione bonorum morum, ut liberalitatis, mansuetudinis, humanitatis, comitatis, aliarumque uirtutum generis eiusdem, ad animos auditorum leniter tractandos, & quasi alliciendos. Permotiones vero sunt, quibus hominum mentes grauius, ac vehementius concitantur, & quasi rapiuntur; vt irascantur, vt metuant, vt inuideant, alijsq; maioribus perturbationibus commoueantur. Nec omnino placet, qđ aliqui dicunt, leniores motus admoueri ad animi partem concupiscentem, grauiores uero ad irascentem: nanque amor ad partem qua concupiscimus pertinet, ut Philosophi sacrique Theologi docent, & tamen omnes dicendi Magistri amorem in concitationibus uehemētioribus ponunt. Dicendum itaque est, utrunque motum ad utranque partem rationis expertem admoueri: sed alterum, ad eas leniter tractandas & alliciendas, alterum ad easdem impellendas & uehementius permouendas. De his duobus motuum generibus meminit Tullius cum dixit, Duo sunt quę bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiam faciunt; quorum alterum est, quod Gręci ἠθικὸν, uocant, ad naturas, & ad mores,

D. Tho.

mores, & ad omnem uitę consuetudinem accommodatum: alterum, quod ijdem παθητικὸν, nominant, quo pertubantur animi et conciliantur, in quo uno regnat oratio. De quibus etiam Fabius libro sexto, capite secundo, multa scribit, & nos latius infra, cum de mouendi officio agemus. Atque ex his colligere licet, cur tria dicantur esse oratoris munera, quia tria sunt quæ ad persuadendum ualent, docere, delectare, hoc est conciliare leniterque tractare, & permouere ac inflammare: quam doctrinam in ipsis positionibus plenius demonstrabo.

Matthe. colatius dispu.de hac re.

Prima positio, oratoris finis est persuadere: Hanc positionem alibi probatam, hoc loco, tamquam totius tractationis fundamētum, simpliciter proponimus. Errant itaque toto cælo, qui aliter sentiunt, & hunc finem non artis, sed oratoris, vel extrinsecum & remotum esse dicunt.

Pe.Sain.

Secunda positio, finis & officium in aliqua arte non sunt idem. Patet hęc positio ex ijs quæ adnotauimus, & ex Aristotelis, Ciceronis, aliorumque communi doctrina. Quare non placent illi, qui affirmant in Rhetorica officium oratoris in actione ipsa consistere, finem uero ipsius actionis, & non in illa: quod non minus obscure, quam inepte dicitur: in qua doctrina confutanda, nihil est cur immorari debeam, cum sit expresse falsa.

Fab.li.2. c.17.

Tertia positio, uniuersum oratorijs officium, est apte dicere ad persuadendum: addunt aliqui, de quauis re proposita. Ita Cicero in priore de inuentione

libro

libro decernit; quo cum cęteri meliores scriptores faciunt. Hoc idem docere videtur Aristoteles, cum de rhetorica loquendo ait, uodque opus eius non est persuadere, sed posse quæ in singulis credibilia sunt perspicere, veluti etiam in cęteris artibus vniuersis. Nec enim medicinæ est sanitatem inducere, sed quoadusque possibile sit, ad hoc vsque perducere: cum possibile sit eos qui nullo possunt pacto sanari, bene tamen curare. Li.1.c.1.

Quarta positio, officij oratorij tres sunt præcipuę partes, docere, delectare, mouere. Meæ, inquit Antonius, totius orationis tres sunt rationes, vna conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum. Harum trium partium prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia uim desiderat. Nam hoc necesse est, ut is qui nobis caussam adiucaturus sit, aut inclinatione voluntatis propendat in nos, aut defensionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur. Et Tullius in Bruto, Tria sunt enim ut quidem ego sentio, quæ sunt efficienda dicendo, vt doceatur is apud quem dicetur, vt delectetur, vt moueatur vehementius. Et alio loco, Optimus est enim orator, qui dicendo animos audientium, & docet, & delectat, & permouet. Docere debitum est, delectare honorarium, permouere necessarium. Cuius doctrinę omnes posteriores subscripserunt, eamque confirmarunt. Et Fabius, Tria sunt, inquit, quæ pręstare debet orator, vt doceat, ut moueat, vt delectet. Lib. 2. Orat. De opt. gen. ora. Li.3.c.3

Quincta positio, docere, mouere, ac delectare in dicendi ratione sunt munera inter se distincta. Nam docemus narratione & argumento, mouemus affectu & perturbatione, conciliamus dignitate hominis, rebus gestis, & vitę existimatione. Ad docendum faciunt sententiæ acutæ, ad delectandum argutæ, ad commouendum graues. Docendi ratio quærit acumen, id est acutam quandam inuentionis subtilitatem: concitatio, uim impetumque affectuum petit: conciliatione inclinatur voluntas & propendit in nos. Docendi ratione instruuntur argumenta ad caussæ defensionem: concitatione animi permouentur: conciliatione fit in nos propensior is qui cognoscit: argumentatione adducitur, animi permotione cogitur. Addocendum assumitur dicendi genus subtile, ad delectandum modicum, ad flectendum vehemens.

Streb.

Cic. in ora.

In orat.

Sexta positio, præter iam dicta oratoris munera alia assignare licet, iuxta alias functiones, quibus orator fungitur: unde multa alia possunt notari munera, & maxime illa quinque a partibus, & alia ex tribus generibus caussarum sumpta. Quare dicere possumus, quinque esse oratoris officia, Inuenire, disponere, eloqui, memoriæ mandare, ac pronuntiare: & pro caussarum varietate laudare, & uituperare, suadere & dissuadere, accusare, ac defendere.

Septima positio, si loquamur de Rhetoris officio in docendo, hoc est quonam modo qui hanc artem docet, eam docere debeat, aliter de eo loquendum erit;

de

de quo poſtea nonnihil dicemus. Verum, hoc officium commune eſt ei cum alijs artificibus, qui in docendo verſantur, ſi uniuerſe loquamur; habet tamen aliquid proprij, ut ſuo dicetur loco: ſicuti etiam de officio oratoris in cauſſis ſuſcipiendis atque tractandis.

Atque has poſitiones attuliſſe ſufficiat: ex quarum doctrina, ut etiam ex ijſquæ adnotauimus, quattuor priora ſolueres argumenta.

Quod autem in ultimo de perſuaſione dicitur, perſuaſio Rhetorica, ut alibi docuimus, longe ab aliarum artium perſuaſione diſtat: quare certa quadam ratione perſuadere, hoc eſt rationibus communibus, & ui orationis ad aliquid faciendum animorum tractatione inducere, proprium eſt oratoris.

An docere ſit oratoris officium, & vbi, & quando docere debeat. Diſp. 3.

QVamuis ex ijs quę proxima diſputatione diximus manifeſtum ſit, docere, in muneribus oratorijs ponendum eſſe: tamen, ut huius officij uim de eo priuatim agendo accuratius explicemus, rem certam in dubium reuocare placet: quod igitur docere non ſit oratorium munus, hoc pacto demonſtrares.

Primum, quod eſt commune multis artibus, non eſt alicui proprium: quod alicui rei non proprię conuenit, ad eius munus non pertinet, cum propria munera artes conſtituant diuerſas, & ad artes diuerſas

pertineant; atque pro uarietate finium, qui sunt in singulis artibus diuersi, diuersa assignantur officia: at docere commune est Rhetoricę cum Dialectica, immo hoc totum Dialecticæ esse uidetur: igitur.

Deinde, orator, siquid docet, id facit narrando & proponendo: atqui in multis caussis, & in quibusdam caussarum generibus nulla est narratio, & propositio; igitur docere non erit munus oratori necessarium: & ita falsum erit, quod Tullius scripsit, Docere esse necessitatis.

Pręterea, is qui docet habet pro fine cognitionem: at orator, cum sit artifex practicus, siue actuosus, non habet pro fine solam rei notitiam: quare docere non erit propria oratoris functio.

Postea, Rhetorica est facultas, quæ, ut Plato & eius discipulus Aristoteles scriptum reliquere, in utranque partem disputare docet: igitur oratoris munus non erit docere: cum is doceat, qui unam tantum quæstionis partem confirmat.

Postremo, eius artificis est docere, qui uersatur in ratione, & rationum momenta perpendit, fontesque argumentorum indicat: quę omnia efficit Dialecticus, non autem orator, cuius est solum orationis ornamenta sectari, sermonemque perpolire, & ut
Cic. in orat. *uniuerse dicam, Eloqui, unde suum nomen accepit: igitur.*

Rodol. Agric. li. 2. *In hac difficultate, quidam existimarunt, docere non esse proprium oratoris munus: & siquid docet, tanquam Dialecticus docet. Alij uero ita putant*

hoc

hoc munus ad oratorem pertinere, ut hoc unum ei tribuant: alia uero duo, acceßiones uocant: ita antiquorum morosus censor Agricola. Denique, alij hoc munus tanquam proprium oratori tribuunt, nec alijs duobus eum priuant: quorum sententia, tanquam uera, & communis retinenda est. Ad huius quæstionis explicationem nonnulla hoc loco adnotare possem; sed ne in re manifesta magis quam necesse est immorer, ad positiones accedam; in quibus, quæ ad rem proxime faciunt, paucis exponam. Ant. Pin.

Prima positio, ad oratorem ex officio pertinet docere. Hoc affirmauerim contra primam opinionem: quã falsam esse, cum patet ex dictis, tum etiam hac firmissima ratione demonstratur. Ad oratorem, ut talis artifex est, pertinet persuadere, et certa quadã ratione persuadere: at hoc nunquam efficiet, (quod prudẽs negaret nemo) nisi dicendo doceat: igitur, ut suum consequatur finem, vnde omnium munerum & officiorum perpenditur ratio, docere debebit. Huc pertinet dictum illud, Docere est necessitatis.

Secunda positio, quamuis docere sit oratoris munus; tamen non est ei ita proprium, vt etiam alijs artificibus, vt historico, poetæ, & Dialectico non conueniat. Sunt enim aliqua, quę ita alicuius artis, naturæque dicuntur propria, ut alijs etiam conueniant: quo pacto dicimus, hominis propriũ est, esse bipedẽ; quod, etsi omni homini conueniat, tamen non soli: cũ alia inueniantur animalia, quæ duobus utuntur pedibus. Cęterum, non est eadem prorsus docendi ra-

tio, qua orator utitur, cum ea qua alij artifices utuntur; ut ex ijs quę adscribemus planum fiet.

Tertia positio, orator uarijs modis hoc munere fungitur: hoc est, non una & eadem, sed diuersis rationibus docet. Docet itaque proponendo, proposita narrando, & dum narrat, argumentorum semina spargendo: partiendo, ac diuidendo: rem propositam rationibus confirmando, & contrariam sententiam refellendo: ea quæ proposuit in memoriam reuocando, dicta colligendo: & denique quæ dicit amplificando, & ad animos permouendos accommodando.

Ex quibus colligere licet, nonnihil discriminis esse inter rationem docendi oratoris & aliorum artificum. Nam demonstrator, siue Philosophus, ut Philosophus, solam uera & necessaria docet; dum propositæ quæstionis unam tantum partem, ueram nimirum, argumentis necessarijs probandam sumit. Dialecticus probabiliter utranque partem docere conatur, sed ad rei naturam, qua de agitur, non ad auditorum sensus accommodate. Historicus solum docet res gestas simpliciter narrando & exponendo: Poeta etiam argumentis, siue exemplis fictis ad docendum utitur. At uero orator, rationibus potissimum persuasibilibus, non modo ad intelligentiam, sed etiã ad affectus auditorum accommodatis, & pro rerum, locorumque opportunitate, cum omnes quæstiones subiectas habeat, & necessarijs, & probabilibus argumentis, certam notitiam, opinionemque facere conatur.

Arist. li. 1. prio. c. 1. lib 1. post c. 2.

conatur. Quo fit, ut ad hoc ſuum munus explendũ non ſolum perſuaſibilia, & ueriſimilia, ſed etiam uera cognoſcere debeat.

Quarta poſitio, orator in omnibus orationis partibus docere debet, diuerſa tamen ratione. In exordio docet, dum auditorem docilem reddit, ea ratione, quam alibi explicuimus. In narratione rem ueriſimilem ac probabilem reddendo: ut libro de diſpoſitione oratoria plane docui. In propoſitione diuidendo, & partiendo, ut eodem loco demonſtraui. In contentione, uera, probabilia, & ueriſimilia afferendo argumenta; & quæ contra afferuntur extenuando, ac refellendo. Denique, in peroratione, quę dicta fuere in memoriam reuocando, & amplificando. Lib. de Diſpoſit. orat.

Quincta poſitio, hoc docendi munus in omni genere orationis, & in omni cauſſa adhibendum eſt: magis tamen in una, quam in alia. Quod in omnibus adhiberi debeat, planum eſt; cum ſit officium ſua natura neceſſarium, non autem obſolam auditorum prauitatem. Quod autem magis in vna, quam in alia cauſſa eo utendum ſit, ex eo patet, quod una eſt magis comparata ad docendum, quam alia, ut quæſtio cognitionis cauſſa inſtituta, quæſtio definitionis, & denique illa, in qua quęritur, an res facta ſit.

Sexta poſitio, iſtrumentum quo orator ad docendum utitur, eſt oratio; non quæuis, ſed oratio ornata & ad popularem ſenſum accommodata. Eſt autem oratio triplex: una qua exponimus, nullis adhibitis probationibus, qua utimur in exordio & narratio-

ne: altera, qua ratiocinando aliquid docemus, rationum mementis adhibitis, quæ in confirmatione potissimum usurpatur: tertia, qua quæ probata sunt amplificamus, & aplificando confirmamus; cum amplificatio nihil aliud sit, quam quædam grauis probatio, cuius priuatus in peroratione est usus. Quales autem huiusmodi orationes esse debeant, alibi docuimus. Sed de hac disputatione satis: nam quæ de hoc officio docenda restant, mox docebo; si prius in contrarium allata argumenta dissoluero.

Ad primum, hoc argumentum facile soluitur ex allata doctrina. Dicimus itaque primum, nonnulla dici propria quæ cum alijs sunt communia: quæ ideo dicuntur propria, quod in omni speciei indiuiduo reperiantur; & huiusmodi est docere in arte dicendi. Deinde, dicimus oratorem longe diuersa ratione docere, quam alij artifices faciant, ac proinde quoddam docendi genus esse ei proprium. Docent Dialectici loquendo, sed non dicendo; non ijsdem locis, non eadem locorum tractatione: & idem de alijs dicas, quorum est aliquo pacto docere.

Ad secundum, huius argumenti expedita est solutio: falsum.n. assumit, oratorem solum proponendo & narrando docere; ut ex ijs quæ diximus est manifestum.

Ad tertium, non solum docemus, ut aliquid cognoscatur, sed etiam vt id quod cognitum fuerit fiat, ut in tota morum philosophia patet: quæ ut Aristo
Lib.2. ethic.2. *teles, non semel dixit, ideo discitur, ut quæ cognoscun*

tur

tur ad opus traducantur.

Ad quartum, in rebus probabilibus & obscuris, tunc ueritas melius cognoscitur, cum quid in utranque partem dici possit, intelligitur. Et licet orator idoneus sit ad disserendum in partem utranque: tamen id, ni apte doceat, efficere minime potest.

Ad ultimum, hoc argumentum assumit falsum, ac proinde non bene concludit. Est itaque Rhetoris siue oratoris argumentorum momenta perpendere, & quæ apta & accommodata sunt ad fidem faciendam excogitare: ac etiam certa quadam ratione quæ ad docendum ualent, ut alibi docuimus, disponere.

Quo pacto Orator docere debeat, siue de recta docendi ratione. Disp. 4.

VT *hoc primo & omnium maxime necessario officio, recte fungi possit orator: præter ea, quę proxima disputatione docuimus, quedam adijcie mus alia, aliis quidem in locis sparsa, nunc autem in unum colligenda. Cum ergo istrumentum quo orator ad docendum utitur, sit oratio, non queæcunque, sed ea quæ ex optimis sententiis lectisque uerbis conficitur, ideo hac disputatione, quę uerba, quæ sententiæ, & quę sententiarum formę ad apte docendum ualeant, priuatim aperiemus. Et quoniam versamur in re minime dubia, ideo quę occurrunt dicēda, quibusdā positionibus breuiter perstringemus.*

Prima

Prima positio, omnis recta docendi ratio spectanda est, partim in uerbis, partim in sententiis, partim in tota oratione, & denique partim in ipsa tractatione Ratio huius doctrinæ est in promptu: quia instrumentum, quo docemus est oratio, ut supra docuimus: at in oratione omnia iam dicta considerari possunt: igitur.

Secunda positio, ad recte planeque docendum, uerba adhibenda sunt propria, quotidiana, aut etiam translata, cum ad melius & magis significandum facta est translatio. De propriis res est manifesta; quia uerba propria sunt ueluti rerum notæ quas proxime significant; quo fit, ut sermo proprius maximam lucem orationi afferat. Hinc est, ut qui intelligi nolunt, improprijs, & allegoricis utantur uerbis: ut olim omnes fere Philosophorum scholæ faciebant. Merito itaque illi scriptores laudantur, qui, ut plane perspicueque doceant, uerbis utuntur proprijs. De quotidianis nihil attinet dicere; quia cum orator apud populum uerba faciat, nunquam poterit apte docere, si recondita usurpabit uerba. Verissimum est. n. Lib. 1. or.
quod aliquando docuit M. Tullius, in dicendo uitium uel maximum esse a uulgari genere orationis, atque a consuetudine communis sensus abhorrere. De translatis ad docendum & illustrandum accomodatis, quid est quod aliquid dicamus, cum in hunc finem sint facta, ut clarius doceant? Merito itaque ab omnibus reprehenduntur illi, qui propriis & usitatis uerbis relictis, recondita & impropria usurpant, ut

ali-

aliquid ſapere uideantur, cum ita locuuntur, ut abq; alijs non intelligantur: ſi tamen illi ſapiunt, qui quorſum inuentus ſit ſermo ignorant, aut obſcure loquendo ſe ignorare plane demonſtrant. Cum, ut docte Augustinus ait, Nulla ſit loquendi cauſſa, ſi quod loquimur, non intelligunt propter quos ut intelligant loquimur. Lib. 4. doctr c. 10.

Tertia poſitio, ad apte docendum ea ſunt adhibenda ſententiarum lumina, quę uim exponendi & ob oculos ponendi habent. Huiuſmodi ſunt uſitatę & perſonis accommodatæ ſimilitudines, imagines, comparationes, diſtributiones, demonſtrationes, expoſitiones, & huius generis aliæ figuræ. Qui itaque uult plane docere, hisce ueluti ſtellis, ſuam illuminet orationem.

Quarta poſitio, qui vult apte dicere ad docendum, ſententias aſſumat ad auditorum ſenſus accommodatas, populares nimirum, in communi hominum ſenſu poſitas, faciles, & eas quæ nihil obſcuritatis habent. Quid enim ab eius officio qui docere debet poteſt eſſe magis alienum, quam id ad dicendum ſumere, quod ab eo qui audit intelligi nō queat? Id qui facit, non ſecus mihi facere videtur, ac is, qui ad ouium gregem, aut ad lapides orationem vellet habere. Et, ſi, ut ſapiens ait, Vbi non eſt auditus non eſt fundēdus ſermo; cur fundetur ibi, ubi nulla eſt audientis intelligentia? Quid delectationis capiet, qui rei quam audit nullum percipit guſtum? & quo modo ab ea re poterit permoueri, quæ in eius Ecci. 32.

in-

intelligentiam non ingreditur? An uero hac in parte a multis, qui apud plebem dicunt, imprudentissime peccetur, quis non videt? Quam rem, cum interdum mecum ipse cogito, ita obstupesco, ut admiratione defixus hæream: præsertim, cum eorum inscitiam & imprudentiam animaduerto, qui tunc se in dicendo laudem adipisci posse, & se adeptos esse arbitrantur, cum de rebus a communi sensu intelligentiaque remotis, & obscuris, contra omnia artis bene dicendi præcepta, omniumq; bonorum oratorum consuetudinem dixerint. O stultitiam admirandam: Ignorant isti, quod summus orator dixit, omnem orationem ad eos qui audiunt debere esse accommodatam, & inter doctos & indoctos ponendum esse discrimen. Ignorant isti primam orationis uirtutem esse perspicuitatem, claritatemque. Huc pertinet, quod oratorem perfectum instituendo, perfectus orator de Thucydideo dicendi genere agendo dixit, Ipsę illæ conciones ita multas habent obscuras abditasque sententias, uix vt intelligantur; quod est in oratione ciuili vitium vel maximum. Et ut cum Augustino hunc locum concludam, Qui ergo dicit, cum docere vult, quandiu non intelligitur, non dum existimet dixisse, quod vult, ei quem vult docere. Quia, etsi dixit, quod ipse intelligit, non dum illi dixisse putandus est, a quo intellectus non est. Si vero intellectus est, quocunque modo dixerit, dixit. Quare, qui in hoc primo munere obscura, vel clara obscure dicendo errabit, is nullo boni oratoris officio poterit

Cir. in Part.

In orat.

Lib. 4. de doct. chr. c. 12.

per-

perfungi; ac proinde, frustra laborabit, & dignus erit, qui ab omnibus irrideatur, & cum ad dicendum uenerit, deseratur.

Quincta positio, ad apte docendum ea assumenda est orationis forma, eaque exprimenda est idea, quae perspicuitas & claritas nominatur: qua forma prima, & precipua, & in omni genere, & in tota oratione necessaria exprimitur orationis uirtus. Qua autem ratione haec idea conficienda sit, libro tertio de Eloquutione plane docuimus: is igitur consulatur locus ab eo qui in hoc oratorio munere optime se gerere voluerit. Lib. 3. de eloquut. orat.

Sexta positio, ad apte planeque docendum, periodis breuioribus vtendum est, & recta potius docendi methodo, quam circumducta & longa, formisque argumentandi breuioribus, ut sunt enthymemata, epicheremata, & breuiter comprehensa dilemmata. Huius doctrinae ea assignatur ratio, quia orator, vt plurimum, apud eos dicit, qui longum orationis sensum, & argumentorum uim multis uerbis explicatam comprehendere non queunt. Propterea prudenter Aristoteles admonebat, propter auditorum simplicitatem, prolixitatem uitandam esse. Li. [illegible]he. c.2.

Septima positio, ei qui apte ad docendum sit dicturus, cauendum est, ne dum aliquid planius docere studet, id pluribus uerbis exponat, aut inculcet, quod alias per se est satis manifestum. Quoniam saepe contingere potest, ut magis obscuretur, aut certe auditoribus fastidiosa reddatur oratio. Sicut enim, ut inquit

quit Augustinus, gratus est qui cognoscenda enubilat, sic onerosus est, qui cognita inculcat; eis duntaxat, quorum tota expectatio in dissoluenda eorum quæ panduntur difficultate pendebat.

Octaua positio, ad apte planeque docendum licet de sermonis ornatu minus esse solicitum. Hanc doctrinam his disertis verbis tradidit Augustinus, si tenet auditorem, uel colloquutorem discendi cupiditas, nec capacitas desit, quæ quoquo modo intimata possit accipere, non curante illo qui docet, quanta eloquentia doceat, sed quanta euidentia. Cuius euidentiæ diligens appetitus, aliquando negligit uerba cultiora, nec curat quid bene sonet, sed quid bene indicet, atque intimet, quod ostendere intendit. Vnde, ait quidam, cum de tali genere loquutionis ageret, esse in ea quandam diligentem negligentiam. Hęc tamen sic detrahit ornatum, ut sordes non contrahat. Et paullo infra, Quid enim prodest loquutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis? cum loquendi omnino nulla sit caussa, si quod loquimur, nō intelligunt, propter quos, ut intelligant, loquimur. Qui ergo docet, uitabit omnia verba quę non docēt. Hæc Augustinus.

Nona positio, tunc apte ad docendum dicitur, cū res subiecta exponitur: cum expositioni additur ratio, cui subijcitur approbatio, approbationi redditio, cum sua ratione, ac denique cum adhibetur conclusio. Exemplum huius formæ docendi potest esse initium libri primi rhetoricæ ad Herennium, ut quidā Capid.

adnota-

adnotarunt. Cæterum, non est necesse, vt omnes allatæ partes in ea sententia, vel oratione quam tractamus semper reperiantur: sed una uel alia prętermitti potest, prout res ipsa locusve postulabit. Et hęc sunt quę in hac disputatione dicere habui.

An docere sit præcipuum Oratoris officium. Disput. 5.

ILLVD *est nobis in hac disputatione propositum, ut quodnam sit e tribus officijs oratorijs pręstantius aperiamus: cum huius dubitationis tractandæ non uno in loco Cicero nobis occasionem dederit.* Lib. 2. or.

Quod autem docere non sit pręcipuum oratoris munus ex eo probares, quod Antonius de his tribus muneribus loquendo, primum locum conciliationi animorum, hoc est delectationi dedit; hoc igitur præcipuum.

Deinde, probo delectandi munus esse præstantius ob eam caussam, quod delectationem parit, quę est omnium humanarum actionum postrema perfectio: ut, non sine ratione in ea nonnulli ultimam fœlicitatem positam esse existimauerint.

Postea, probo præstantius eße mouere, ea natione quia in huiũs muneris functione sita est totius orationis uictoria: quam qui dicendo obtinet, is demum suo officio satis omni ex parte fecisse dicitur.

Præterea, probo pręstantius esse docere, quoniam illud munus est pręstantiùs, quod sua natura, artifici

exhi-

exhibendum est: atqui huiusmodi est docere, sine quo alia munera existere nequeunt, hoc uero sine illis maxime; cum animorum conciliationes, & concitationes ob auditorum prauitatem adhibeantur: docilitas igitur erit præstantior.

In orat. de perf. orat.

Postremo illud dubitationem facit, quod cicero de his tribus officijs uarijs in locis loquendo, uaria eis attributa assignauit; Nam aliquando dixit, docere esse necessitatis, delectare suauitatis, & flectere uictoriæ: alibi vero, docere esse debitum, delectare honorarium, permouere necessarium.

Quamuis hæc disputatio aliquibus nimis curiosa uideri posset: tamen, siquis eam diligenter consideret, non esse inutilem facile intelliget. Nam, qui quodnā oratoris munus sit dignius intellexerit, is in eo maiorem diligentiam sibi ponendam esse statuet, ponetque.

Quod autem ad scriptorum opiniones attinet, Agricola, qui duo posteriora munera acccessiones uocauit, proculdubio priori primum locum tribueret. Qui uero totam eloquentiæ uim in eloquendo ponunt, & illi qui olim uocabantur Sophistæ, præcipuum munus delectationem, lenemque animorum tractationem, aut etiam eorundem permotionem facerent.

Ad huius difficultatis explicationem, vnum, vel alterum breuiter adnotabo, cum nolim subtilius & accuratius, quam faciam, eam examinare; sed potius alijs ad id faciendum occasionem præbere. Illud

igitur

igitur primum adnotauerim, hęc tria officia dupliciter comparari posse; uno modo simpliciter, ea inter se conferendo; altero modo ad caussæ genus, uel ad auditores accommodando: qua ratione magis unum, quam aliud in una caussa adhibendum erit.

Notandum deinde est, in omni comparatione, ut alibi docuimus, uaria poße spectari attributa, ut necessitatem, utilitatem, dignitatem, difficultatem, & id genus alia: pro quorum diuersa ratione, quæ comparantur, pręferri, aut postponi poßunt: & quidem, aut simpliciter, aut ex parte. Lib.4.de Inuen.

Notandum prçterea est, nos hoc loco supponere omnia ista tria munera, aliqua parte, in omni oratione, uniuerse loquendo, adhibenda eße: quo posito, quęri potest, quodnam sit magis necessarium, magis utile, magisque oratori proprium.

Postremo notandum est, docendi munus potissimum a narrationis & probationis forma pendere; delectandi uero a quodam dicendi genere compto, eleganti, & ad uoluptatem auditorum accommodato: mouendi denique ab ipsa amplificandi, & agendi forma, & a quodam orationis genere lacertoso, atque inflammato, spiritusque pleno. His ita notatis, has subijcio positiones.

Prima positio, si hęc tria munera comparentur ratione necessitatis, quę sumitur ex fine, qui est persuadere, magis necessarium est docere, quam mouere & delectare, & magis mouere, quam delectare. Quod docere ratione necessitatis primũ obtineat lo-

li. 3. rhe. c. 3. cum, patet primum auctoritate Aristotelis, qui scriptum reliquit, Par esse rationibus ipsis certare, & non orationis ornamentis, animorumque inflexione; In orat. quæ tamen duo ob auditorum prauitatem necessaria dicuntur: per se igitur satis esset sola rei expositio, & De orat. perf. probatio; quæ duo ad munus docendi pertinent. Hoc idem voluit Cicero, cum dixit, docere esse necessitatis, & debitum, hoc est, sua natura, requisitum, tamquam per se necessarium officium. Hanc eandem doctrinam hisce præclaris uerbis exposuit Augustinus. L. b. 4. de doct. Dixit ergo quidam eloquens, & verum dixit, ita dicere debere eloquentem, vt doceat, vt delectet, ut flectat: deinde addidit, Docere necessitatis est, delectare suauitatis, flectere uictoriæ. Horum trium quod primo loco positum est, hoc est docendi necessitas in rebus est constituta, quas dicimus, & reliqua duo in modo quo dicimus docendo. Ex quibus uerbis primo colligeres, in quo primum munus a posterioribus differat: deinde, reliqua duo munera per se nihil sine primo efficere, at primum interdum per se aliquid efficit tunc nimirum, cum apud eos dicimus, qui sola essent rei demonstratione contenti: postremo, primũ munus in rebus ipsis potissimum cerni, alia uero duo præcipue in uerbis modoq; dicendi, vt ex Augustino adnotauimus: at maiorem uim ad persuadendum habent res sua ui atq; natura, quã uerba, & loquendi modus: igitur.

Quod autem concitatio sit magis necessaria, quã delectatio, ex eo patet: quia delectatio non confert

pro-

proxime ad persuadendum, sed solum ad auditorem detinendum, & conciliandum: at uero concitatio auditores quocunque vult impellit, & vnde vult reuocat. Huc facit quod Tullius de hoc tertio officio dixit, Mouere esse uictoriæ, atque necessarium. Si itaque horum trium munerum necessitas, sua natura, spectetur, hoc pacto collocanda erunt, Docere, mouere delectare.

Secunda positio, ex hypothesi, hoc est auditorum supposita prauitate, quam orator cum ad populũ & rudem multitudinem, & ad homines parum bene affectos dicat, supponit, magis necessarium est animos permouere, quam docere, præsertim in caussis, hoc est in quæstionibus finitis. Hoc mihi affirmaße uidetur Tullius cum dixit, Flectere esse uictoriæ & necessarium. Nam id unum, vt idem ait, ex omnibus ad obtinendas caussas potest plurimum: in quo uno omnis est oratoris uis. Et alio loco, cum duę summæ sint in oratore laudes, una subtiliter disputandi ad docendũ, altera grauiter agendi ad animos audientium permouendos, multoque plus proficiatis qui inflammat iudicem, quam ille qui docet, & quæ apud ipsum sequuntur. Commotio itaque est potissima oratoris functio, quæ non solum auditorem adducere, sed & trahere potest: vnde illam egregiam appellationem oratio sortita est, quod flexanima dicatur, & orator hominum Deus ac moderator. In Brut. Streb.

Tertia positio, si ista munera comparentur ratione difficultatis, difficilius est permouere, quã docere

& delectare, & docere, quam delectare. Doctrina est manifesta; quoniam paucos oratores uidemus, qui in promouendo valeant, & multo plura, tum ex parte animi, tum ex parte corporis requiruntur bona, uel a natura concessa, uel studio acquisita ad permouendum, quam ad docendum & delectandum, ut quisq; ex se, facile animauerteret, quamuis docendi doctrina, ut Antonius ait, plura præcepta requirat.

Quarta positio, permouere est quodammodo magis proprium oratoris, quam docere, & delectare. Docent Philosophi, & licet interdum loquantur; tamen eorum oratio, nec neruos, nec oratorios, & forenses aculeos habet. Loquuntur cum doctis, quorū sedare animos malunt, quam incitare: & de rebus pacatis minimeque turbulentis, docendi non capiendi caussa loquuntur: ut in eo ipso quod delectationē aliquam dicendo aucupentur, plus nonnullis, quam opus sit, facere uideantur, ut ait Cicero. Delectant etiam Poetæ, & ita dicunt, ut unam potissimum uoluptatem propositā habeant: at uero orator ideo delectat, ut detineat, leniat, & tandē capiat. Propter eos, inquit Augustinus, quibus fastidientibus non placet ueritas, si alio quocunque modo, nisi eo modo dicatur, ut placeat sermo dicentis, datus est in eloquentia non paruus etiam delectationi locus. Quæ tamen addita non sufficit duris, quos nec intellexisse, nec docentis eloquutione delectatos esse profuerit.

Cic. in orat.

Lib. 4. de do. Chr. ca. 13.

Quincta positio, delectandi munus in eo alia munera

nera

nera antecellere uidetur, quod quendam leporem, gratiam, dignitatemque secum afferat: dum quodam dicendi genere liberali, ingenuo, & morato hominũ animos is qui dicit sibi conciliat, vrbanitate, atque iucunditate perfundit, & attentos ac suspensos tenet: vt tenebat ille, qui de se loquendo, uere aiebat, Expectabant me sicuti pluuiam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Dicere itaque cũ M. Tullio liceat, Delectare esse honorarium, hoc est honorem quendam dignitatemq; afferre, ac etiam in eo qui dicit exposcere. Iob 29.

Sexta positio, pro caussarum personarumque ratione unum ex his officijs magis necessarium erit, quam alterum. In caussa cognitionis magis docendũ est: in caussa actionis magis mouendum: & si dictio comparata esset ad gratiam voluptatẽque aucupandam, magis delectandum erit. Similiter in genere demonstratiuo, vniuerse loquendo, plurimum delectationi & leni commotioni seruitur: in deliberatiuo probationi, & in iudiciali permotioni. Atque idem dicas de alijs caussarum generibus; ut de honesto, de turpi, de dubio, & de reliquis.

Septima positio, si naturæ ordinem spectemus, hæc munera hoc ordine collocanda esse uidentur; ut prius delectando nobis auditorem animos conciliemus, postea doceamus, & tandem concitemus ac permoueamus. Illa etiam acceperam, inquit Crassus, antequam de re diceremus, initio conciliandos esse eorum animos, qui audirent, deinde rem demonstran- Li.1.orat.

dam, demonstrationem autem sequi debet motus, qui potissimum in fine orationis adhibetur. Cęterũ, hic ordo non est perpetuus, & hæc munera sunt in tota oratione permista; licet vnum magis, quam alterũ in aliqua orationis parte extare debeat. Quando autem Tullius & alij ita collocant, ut delectare ponant in medio, id spectant, ut duo magis necessaria munera in extremis partibus constituant, & minus necessarium & aliorum caussa assumptum ponant in medio. Docet itaque orator dum proponit, narratue, & proposita probat, & ne inutiliter doceat, docendo delectat, & urbanitate suauitateque detinet, ut tandem flectendo uictoriam referat, id enim unũ ad obtinendas caussas plurimum ualet. Neque enim populus, neque semidocti homines argumentis tam mouentur, quam concitatis affectibus. Alia itaque ratio est scholarum, alia caussarum ciuilium, ut senatus, ut fori, vt concionis.

Octaua positio, tribus officijs oratoriis aptanda sunt tria dicendi genera: subtile ad probandum, quoniam diligens expositio rerum, & argumentatio, sępe captat etiam minuta & subtilia, ne quid utile caussæ relinquat, ne ue grauia tractando minus intelligatur. Modicum, idest temperatum ad delectandum, vt cum laudes optimi cuiusque narramus, aut in communibus locis fuse lateque spatiamur. Vehemens & graue ad flectendum, ut in amplificationibus, & in omni contentione grauioris affectus. Sed ne subtilius & accuratius, quam necesse est, de re proposita dicam,

cam, iam dicta sufficiant. Restat igitur ut argumentis satisfaciamus.

Ad primum, non est mirum, si Antonius primo loco posuit animorum conciliationem, quia aliquo pacto priorem locum obtinere potest, ut supra diximus.

Ad secundum, quidquid sit de delectatione, sit ne præcipua humanæ mentis operatio, de qua multa a Philosophis & a Theologis disputantur; nunc ad rē nostram satis erit, si dicamus, ideo delectare non esse præstantius munus, quia aliorū caussa suscipitur, ut scilicet melius docemus, ac permoueamus.

Ad tertium, concedimus tertium munus esse præstantius ratione necessitatis & uirium, cum in eo sit maior ad persuadendum uis, eo modo quo diximus, quam in alijs.

Ad quartum, hoc argumentum primæ positionis doctrinam confirmat, ac proinde non est quamobrē refellatur.

Ad vltimum, quonam pacto Cicero intelligendus sit, ex ijs quæ docuimus, facile intelligeres.

An orator debeat esse omnium rerum cognitione præditus, vt apte docere, cęteraq; officia idonee pręstare possit. Disp. 6.

GRauis sane, atque omnino ambigua semper mihi visa est hæc, quam discutiendā proposui dubitatio; tum ob contrarias auctorum sententias,

tum ob rationum momenta, quæ in utranque partẽ afferuntur: quæ ideo priore loco proponam, ut quantum sit hac in re difficultatis facile intelligatur.

Et primum, qui negantem tuentur partem, hunc in modum disputarent, ut primo de oratore sermone contra Crassum disputauit Scęuola, qui pernegauit Crasso dicenti, Oratoris esse in omni genere sermonis & humanitatis debere esse perfectum: & cum in alienas possessiones temere irruisse affirmat: vbi concludens ait, Quamobrem ista tanta, tamque multa profitenda Crasse, non censeo. Satis est id magnum, quod potest præstare; ut in iudicijs ea caussa, quamcunque tu dicis, melior & probabilior esse uideatur: vt in concionibus, ut in sententiis dicendis ad persuadendum tua plurimum ualeat oratio: denique, vt prudentibus diserte, stultis etiam uere dicere uidearis. Hoc amplius, si quid poteris, non id mihi videbitur orator, sed Crassus sua quadam propria, non cõmuni oratorum facultate posse. Cum ergo ars oratoria sit facultas quędam naturalis & humana, naturę, & hominum uires excedere non debet; ut sane excederet, si omnium rerum cognitio perfecto oratori est necessaria. Qui igitur contra sentiunt, talem nobis oratorem proponunt, cuius perfectionem, nemo aßequetur unquam: pręsertim, ut ait Antonius, in nostra uita, & occupationibus.

Lib. 1. de orat.

Deinde, si oratoris perfectio ex rerum omnium cognitione petenda est, cur isti, qui artes oratorias scribunt, qui bonum oratorem formant, de rebus omnibus

bus non agunt, sed solum præcepta, quæ ad ornandam orationem ualent, tradunt? &, vt cum Menedemo disputem, quod si tantam uim rerum maximarum rhetorici illi doctores complecterentur: quero, cur de proœmijs, & de epilogis, & de huiusmodi nugis, sic enim appellabat, referti sunt eorum libri? de ciuitatibus instituendis, de scribendis legibus, de æquitate, de iustitia, de fide, de frangendis cupiditatibus, conformandisq; hominum moribus litera in eorum libris nulla inuenitur. Li.1.ora.

Præterea, & est argumentum, quo vtitur Antonius aduersus Crassum affirmantem oratori necessariam esse legum cognitionem, Quoniam multũ distãt inter se istę facultates, longeque sunt diuersę, atque seiunctę: ac proinde una non includet alteram, nec ab ea perfectionem sumet. Nec, si P. Crassus idem fuit eloquens & iuris peritus, ob eam caussam inest in facultate dicendi iuris ciuilis scientia. Nam si quisque, vt in aliqua arte & facultate excellens aliã quoque artem sibi assumpserit, is perficiet, vt quod præterea sciet, id, eius in quo excellet, pars quædam esse uideatur, & quæ ibi late disputat Antonius. Lib.i. de orat.

Et vt huic rationi ex Philosophorum Dialecticorumque doctrina maiores addantur uires, ad hunc modum disputo, Qualis est proportio materia ex qua artifex suum opus conficit ad ipsum artificem, talis est proportio materię ad quam orator applicat suum opus, ad ipsum oratorem: atqui materia artificis non est de eius perfectione: igitur nec oratoris

ma-

Lib. 2. c. vlt. materia ad eius pertinebit absolutionem. Propositionem, quam tamen facile concederet Quinctilianus, qui a contraria sententia stare uidetur, sic probares. Constat enim aurificem propriam retinere perfectionem, etiamsi careat auro, ex quo uas conficiat: alias enim si materia aurificis & oratoris perfectionem augeret, sequeretur eum esse perfectiorẽ aurificem & oratorem, qui nobiliorem tractaret materiam, eo qui in re uersaretur deteriore, quod magnus Commentator Auenroes nullo modo concederet: qui mirabiliorem esse ait scientiam artificis facientis ex luto aliquid, quam eius, qui ex auro faceret: cum ille non iuuetur a materia, hic uero plurimum. Materia igitur in qua ars versatur, ad artis perfectionem non facit. Dixi, materia in qua, vt distinguerem a materia quam ars tractat, & explicat; quia hæc materia artis ad artificis perfectionẽ pertinet; ut patet in arte statuaria, cuius materia in quam agit, uel ex qua opus conficit, est ęs: materia uero quam tractat, seu, ut loquuntur Philosophi, obiectum, est figura, siue statua, a qua materia quęlibet ars, ut docet Aristoteles, suam perfectionem & dignitatem sumit, si sit dignior & firmior. Quo sit, ut ars de nobiliore & certiore obiecto nobilior sit ea, quę est de re ignobiliore & minus certa. Atqui res de quibus ornate dicit orator, non sunt materia, siue obiectum Rhetorices, cum in his explicandis non uersetur: igitur nec de perfectione oratoris: cuius omnis perfectio solum ab ornato sermone cul-

In lib. 2. Met. tex. 18.

Li. 1. post.

Aris. lib. 1. de ani. c. 1.

cultuque orationis, qui est ei proprius, petenda est. Quare, perfectus erit orator, qui perfectam orationem ex artis pręceptis conficiet, qualis qualis sit materia: sicut ille omnibus numeris absolutus est Grãmaticus, qui ex Grãmaticę pręceptis orationẽ componit maxime congruam. Ex quibus illud etiam colligeres, artis oratorię pręstantiam esse exiguam; cũ in solo uersetur sermone, vt omnes fatentur, sitque facultas satis incerta, atque aliarum artium, quę in rebus uersantur, quasi ancilla; quippe omnibus uerba subministrat: Ex qua parte omniũ artium infimam esse diceres. Atque de ista argumentatione hactenus.

Postea, si uerum est, quod initio suę Rhetoricę scriptum reliquit Aristoteles, Rhetoricam ęquipollere Dialecticę, quia ambæ nullius sunt determinati generis, si orator cuius de ornate dicendo doctrina omnibus potest applicari rebus, omniũ artium cognitione ornatus esse deberet, eadem ratione Dialectico, omniũ rerum necessaria esset scientia; cum rationẽ probabiliter disputandi de omnibus rebus doceat: at qui falsum est Dialecticum omnium scientiarũ genere debere esse preditum, cum eius perfectio non pendeat a materia, cui applicatur Dialectica: quare nec orator talem ac tantam doctrinam habere debebit.

Ad hęc, eiusdẽ facultatis est uidere quid in unaquaque re uerum aut falsum sit, & quid probabile & improbabile: sed primum pertinet ad Dialecti-

cam, quæ uis est discernendi uerum a falso: igitur, & secundum: unde colligitur, Rhetorem nullam rerum habere debere cognitionem, sed solum sermonis. Prima huius argumentationis propositio est Aristotelis in primo suę rhetoricę libro, ubi ait, eiusdem uirtutis esse ueri & uerisimilis considerationem: sumptio, est Dialecticæ definitio: Tota igitur argumentatio uera.

Cap. I.

Iam uero, tria sunt ex quibus perfecta conficitur oratio; probabilitas, congruitas, & ornatus, quibus in rebus tres artes versantur, Dialectica, Grammatica, Rhetorica: prima probabilitatem confert, altera sermonis congruentiam, tertia ornatum & eloquutionem. Quare, totus oratoris labor, & omnis industria, atque absolutio in ornatu consistet: &, si quid in rebus peccabit, non artis oratorię, sed aliarum artium erit vitium.

Denique, esto aliquam rerum cognitionem esse in oratore necessariam, & ad eius perfectionem pertinere: tamen, debet esse certa, non interminata, ut est omnium rerum notitia, non abstrusa, non recondita, sed communis & ad communem sensum accommodata, ut apud Ciceronem disputat Antonius: concludatur itaque orator ijs rebus, quæ sunt in usu ciuitatum uulgari, ac forensi. Pro altera sententia hę rationes potissimum facere videntur.

Primum, oratori de vnaquaque re proposita ornate, copiose, & idonee ad fidem faciendam, dicendum est, ut non uno in loco scriptum reliquit Tullius

lius: at nemo de rebus omnibus apte ad persuadendum dicet, nisi omnium rerum fuerit doctrina imbutus: quare, si orator nomen suum retinere uoluerit, omnes res cognitas habere debebit.

Deinde, fingamus duos esse oratores ęqua ratione dicendi arte instructos, qui eadem de re dicturi sint: ex quibus, is profecto mellius de re proposita dicet, qui rē illam perfectius nouerit: igitur ad perfectum oratorem constituendum, qui de vnaquaque re perfecte dicere queat, omnium rerum notitia erit necessaria.

Postea, omnis artifex debet habere perspecta & cognita suæ artis instrumenta, quod profecto negaret nemo; cum sine hac cognitione artifex efficere possit nihil: atqui, auctore Fabio, omnes scientiæ sunt Oratoris instrumenta; igitur.

Pręterea, perfectum, ut Philosophi docent, id esse censetur, cui nihil abest: atqui, cum oratio non modo costet ex uerbis, sed etiam ex rebus, ex quarū dignitate efflorescere debet: profecto is perfectus orator dicendus non erit, qui eorum quę dicit nullā habebit notitiam: & cum oratoris sit in omni re uersari, nunquam erit omni ex parte absolutus orator ille, qui omnium rerum doctrinam non fuerit consequutus.

Ad hæc, ut se habet domus, gratiā exampli, ad ędificatorem, & quoduis opus ad suum artificem; ita oratio ad oratorem: atqui domus constructa ex materia ab artifice melius tractata et disposita, ut ex Arist. li. 7. polit.

qua-

quadratis & perpolitis lapidibus, est longe perfectior & nobilior, quam illa quę ex ruderibus est confecta: pari igitur ratione, longe perfectior erit oratio ex iis rebus conflata, quę fuerint perspectæ & acuratius tractatę; cum qui eas cognoscit molto meliorem orationem ex illis conficere queat. Rerum itaque cognitio ad perficiendum oratorem conferet; & is censebitur perfectior qui plura & melius cognoscit, & cognoscendo melius tractat; & ne quid ei desit, si in perfectis numerandus est, ut omnium rerum cognitionem consequatur necesse erit. Huc faciunt hæc uerba, quæ pro hac sententia disputando protu-
Lib. 1. orat. lit Crassus. Sin oratoris nihil uis esse, nisi composite, nisi ornate, copiose eloqui: quæro, id ipsum qui possit assequi sine ea scientia, quam ei non conceditis? dicendi.n. uirtus, nisi ei qui dicit, ea de quibus dicit percepta sint, extare non potest: & paullo infra, unum erit profecto, quod ij qui bene dicunt, afferunt proprium, compositam orationem, & ornatam, & artificio quodam & expolitione distinctam. Hæc autem oratio, si res non subest ab oratore percepta, & cognita, aut nulla sit necesse est, aut omnium irrisione ludatur. Quid est. n. tam furiosum, quam uerborum, uel optimorum, atque ornatissimorum sonitus inanis nulla subiecta sententia, nec scentia?

Iam uero, oratoris finis, ut omnes meliores dicēdi magistri docent, & nos alibi docuimus, est persuadere, quod qui persuasum non habent, eiusmodi sunt, ut eis nihil penitus persuaderi possit: omnis autem persua-

*ſuaſio a rebus ipſis & a rationum momentis ad ani-
mos populariter tractandos accommodatis ſumen-
da eſt: quare orator rerum cognitione orbatus ni-
hil poterit perſuadere, nec uidere, quid in unaquaque
re ſit aptum ad perſuadendum. Perfecto igitur ora-
tori cuius munus eſt appoſite dicere ad perſuaden-
dum perfecta rerum cognitio tribuenda eſt.*

*Denique, vis maxima oratoris exiſtit in homi-
num mentibus, vel in aliquem affectum iræ, odij, &
doloris incitandis, uel ab his iiſdem permotionibus
ad lenitatem, miſericordiamque reuocandis: quę, qui
naturas hominum, vimque omnem humanitatis,
cauſſaſque eas, quibus mentes, aut incitantur, aut re
flectuntur, penitus non perſpexerit, dicendo perfice-
re non poterit, vt Craſſus diſputat. Atque idem dice
res de legum cognitione, ſi in foro digne uerſari de-
bet: de morum philoſophia, ſi laudaturus eſt: de rep.
ſi in ſenatu ſit dicturus: & denique de omnibus quæ-
ſtionibus finitis & infinitis, actionis & cognitionis,
ſi ubique in omni re propoſita orator ſuum nomen
retinere voluerit. Quare, & humani affectus, qui per
mouendi ſunt, & res ipſę quibus permouentur orato
ri perfecto cognoſcendæ erunt. Atque has rationes
pro altera ſententia attuliſſe ſufficiat. Quod attinet
ad auctorum opiniones tres mihi occurrunt dicen-
di modi.*

*Primus quorundam qui totam uim ac perfectio-
nem oratoris in perfecto ornatu poſitam eſſe uolunt,
ita ut nullam a rerum cognitione perfectionem ſu-*

mat

mat, cum eius subiecta materia sit ornatus sermo, siue elegans & perpolita oratio. Ita Agricola in sua dialectica, Petrus Ramus, Audomarus, & nonnulli alij, qui libenter a ueterum doctrina hac in parte discedunt.

Lib. 1. orat. *Secundus, quem non obscure in sua disputatione contra Crassum insinuauit Antonius: qui aliquam rerum cognitionem in orator requirit, non omnium rerum, non absolutam, qualis est in ijs qui artes tractant, sed eamquæ est in usu vulgari & forensi: quã homo in communi uita, & in uulgari hominum consuetudine, non hebes, non rudis habere potest. Quod si quid difficilius occurrat, consulere debebit eos, qui artes norunt: ubi concludit, nec etiam iuris ciuilis scientiam esse ei necessariam; quam tamen alij ei concederent, sicuti & aliquam philosophiæ morum cognitionem.*

Tertius, quem approbasse uidetur Craßus, & sub eius persona M. Tullius, in oratore perfecto necessariam esse rerum de quibus acturus est notitiam. Eandem opinionem sequitur Fabius, a qua non alienum fuisse Aristotelem nonnulli uolunt: de quorum sententia planius postea dicetur. Vt autem quid in hac controuersia satis dubia magis probabiliter tenendum sit, doceamus, fundamenta quædam ponenda sunt.

Primum fundamentum, in quo docebo quæ & quanta rerum cognitio sit oratori neceßaria. Cum itaque in oratore perfecto omnium rerum a quibusdam

dam requiritur doctrina, non est intelligendum de rebus singulis, quę cum certo numero non cōtineantur, humana cognitione comprehendi non queunt, sed de rebus omnibus uniuerse: nam qui res uniuerse cognitas habet, facile de singulis dicere potest. Rursus, cum in Oratore omnium rerum notitia desideratur, intelligendum puto de ijs rebus, quarum aliqua est ars uel scientia, præsertim de artibus ingenuis & liberalibus: quarum artium complexum Gręci encyclopędiam uocant. Quod autem harum rerum cognitio humanę naturę uires non superet, his rationibus demonstrari potest. Primum, quia non est necesse, ut is, qui populariter & ad communem sensum accommodate disputaturus est, habeat omnino exactam & absolutam rerum cognitionem; sed satis est, si quę frequentius tractari solent; magis cognita habuerit modo reliqua non omnino ignoret, & ideo quarundā artium principia et communes locos eum tenere sat erit; ex quorum notitia, qui erit rerum maximarum gnarus, & in dicendo uersatus, de rebus subiectis apte & copiose dicere poterit. Deinde, quoniam uidemus, quosdam de omnibus maioribus scientijs & artibus libros conscripsisse, & ea tradidisse, quæ potestate omnia continent, quæ ad illas artes pertinent: & aliqui conclusiones ex omnibus fere artiū generibus disputandas proposuere. Quare, si quis bono uteretur ingenio, si magistros haberet idoneos, si in hanc unam rem totus incumberet, ut humanarum artium aliquam haberet scientiam, eam proculdu- Porph.

D *bio*

bio consequi posset. Denique ex fide dignis scriptoribus discimus, aliquos olim extitisse, qui de unaqua que re proposita se statim disputare posse profitebantur. Quod primum ferunt, ait Tullius, Leontinum fecisse Gorgiam: qui permagnum quiddam suscipere, ac profiteri uidebatur, cum se ad omnia, de quibus quisque audire uellet, esse paratum denuntiaret. Postea uero vulgo hoc facere coeperunt, hodieque faciunt; ut nulla sit res, neque tanta, neque tam improuisa, neque tam noua, de qua se non omnia, quæ dici possunt, profiteantur esse dicturos. Et alio loco, Nanque illos ueteres doctores, auctoresque dicendi, nullum genus disputationis a se alienum putasse accepimus, semperque esse in omni orationis ratione uersatos. Ex quibus Heleus Hippias, cum Olimpiam uenisset, maxima illa quinquennali celebritate ludorum gloriatus est, cuncta pene audiente Græcia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret; &c. Et infra de Romanis loquendo ait, Equidem sæpe hoc audiui de patre & socero meo, nostros quoque homines qui excellere sapientiæ gloria uellent, omnia, quæ quidem tunc hęc ciuitas nosset, solitos esse complecti, et quæ apud Ciceronem sequuntur. Fieri itaque posse existimandum est, ut ea acquiratur doctrina, quam in perfecto oratore aliqui necessariam esse arbitrantur, si adsit ingenij acumen, & studium. Nam, ut Socratem illum solitum aiunt dicere, Perfectum sibi opus esse, si quis satis esset concitatus cohortatione ad studium cognosendæ, percipiendæ

Lib. 1. orat.

Li.3. or.

Cic.li.1. orat.

cipiendęque uirtutis: quibus enim id persuasum esset, ut nihil mallent se esse, quam bonos uiros, ijs reliquam facilem esse doctrinam: sic ego, inquit Scæuola apud Tullium, si in hęc, quę patefecit sua oratione Craßus, intrare uolueritis, facilli me uos ad ea quę cupitis peruenturos, ab hoc aditu, ianuaque patefacta. Si quis itaque benedicendi studio incensus, post prima literarum rudimenta, & rhetoricæ precepta, que uno uel altero anno disci possunt, per aliquot alios annos ad artium & scientiarum encyclopędiam comparandam se se conferret, eam sibi compararet rerum cognitionem, quam aliqui in perfecto Oratore desiderari docent. Quid autem nomine perfecti oratoris intelligendum sit, sequenti fundamento explicabo.

Secundum fundamentum. Primum, oratoris nomine non est dignandus is, qui in ludo sola dicendi pręcepta tradit: cum multi optime pręcepta teneant, qui tamen nihil in dicendo ualent: qui nunquam forum, nunquam ullum iudicium aspexerunt: & quod ipsi experti non sunt, id docent cæteros. Neque caussidicum quendam, neque proclamatorem, aut rabulam conquirimus, sed eum, qui copiose, ornate, apte, ad animos permouēdos de re proposita dicere possit. Is orator, ait Crassus, erit tam graui digRus nomine; qui quæcunque res inciderit, quæ sit dictione explicanda, prudenter, & composite, & ornate, & memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate. Et quoniam huiusmodi orator eße Li.1.ora.

non potest, sine aliqua earum rerum de quibus dicit cognitionem, cum nemo de rebus incognitis copiose & prudenter dicere ualeat, illud in dubium uenit, an ista cognitio ad oratoris perfectionem, & absolutionem sua natura pertineat, & an satis sit eam, cũ occasio & necessitas occurret, ab alijs artificibus accipere, an uero perfectus orator ista cognitione, ex se, debeat esse instructus: quibus de rebus, & de tota hac controuersia, quid dicendum sit, sequentibus positionibus explicabo.

Prima positio, oratoris materia sunt res omnes. Ponitur hæc doctrina tanquam huius disputationis fundamentum, quam nos alibi probauimus, et meliores scriptores sequuntur: neque enim ait Antonius, ulla non propria oratoris est res, quæ quidem ornate dici, grauiterque debeat, & Cicero, post Crassi &
Li.2.ora. Antonij disputationem, non quid illi dixerint, sed quod ipse sentiebat exponens, Bene dicendi artem non habere aliquam definitam regionem, cuius terminis septa teneatur, plane affirmauit. Omnia itaque quæcunque in hominum disputationem cadere possunt, bene sunt ei dicenda, qui hoc se posse profitetur; aut eloquentię nomen relinquendum est.

Secunda positio, bono oratori, non modo artis bene dicendi præcepta sunt cognoscenda, sed etiam earum rerum, de quibus dicit debet habere notitiam, Hanc doctrinã nemo nisi stultus negaret; quoniã, ut ait Antonius, Nemo potest de ea re, quã non nouit, non turpissime dicere. Inanis itaq; uerborum profluentia &

uolubilitas sine rerũ quę dicuntur cognitione, non elo quentia a qua nomen suũ accepit orator, sed ut loqui tur Sallustius, loquentia, aut potius loquacitas nomi natur. Propterea M. Tullius aliquãdo accuratissime eloquentiam definiens, dixit, Esse uim quæ scientiã complexa rerum, sensa mentis & consilij sic uerbis explicat, ut eos qui audiunt, quocucũque incubuerit possit impellere, quasi cum Aristotile dixisset, esse ar tem, seu facultatem uidendi quid in unaquaque re sit accommodatum ad persuadendum; que uis nun quam erit in eo, qui sit rerum ignarus, si Crasso, uel potius rationi manifestissimæ credendum est.

In Cat.

Li. 3. or.

Lib. 1. de ora.

Tertia positio, si Rhetorica, siue eloquentia sumatur pro facultate auulsa a rebus, ut continet solam ornandę amplificandæque orationis doctrinam, potest dici ex se perfecta sine aliarum rerum cognitione, ita vt perfectus dicatur Rhetor, qui omnia quę ad eleganter, copiose, apteque dicendum sunt necessaria cognouerit. Quod hoc loco docemus, est omnino perspicuum; & ex eo patet, quia hanc doctrinam nulla alia ars, aut scientia tradit; quam dum Rhetor docet, nullius certæ rei, aut caussæ mentionem facit, sed uniuerse præcepta tradit, quę ad omnes res dicendas accommodari possunt. Et quidem Rhetoris sic considerati ornatus sermo dicitur esse proprius; qui, ut alibi docuimus dici potest artis dicendi subiecta materia. Huc pertinet quod apud Ciceronem ait Antonius, omnes artes sine eloquentia suum munus pręstare posse, oratorẽ

Li. 2. or.

uero sine ea nomen suum obtinere non posse: ut cęteri, si diserti sint, aliquid ab hoc habeant: hic, nisi domesticis se instruxerit copijs, aliunde dicendi copiã
Li.1.ora. petere non possit. Et Crassius apud eundem, sint eę res de quibus disputant (de Philosophis loquitur) in alijs quibusdam studijs; oratio quidem propria est huius unius rationis, de qua loquimur, & quęrimus: & paullo infra, Vnum erit profecto, quod ij qui bene dicunt, afferunt proprium, compositam orationem & ornatam, & artificio quodam & expolitione distinctam. Cæterum, in hac disputatione nomine eloquentiæ non intelligimus illam solam & nudam præceptorum cognitionem, sed eam uim ac facultatem, qua qui est pręditus apte de omnibus rebus ad persuadendum, & populariter dicere potest: & per oratorem, non ludi magistrum solisque pręceptis eruditum hominem, sed eum, qui uim, de qua diximus, est adeptus & in caussis uersatur. De quo illud statuendum restat; an ea rerum cognitio, quam ei neceßariam diximus, ad eius perfectionem pertineat, & ui suæ artis ei cõueniat, an uero penitus extrinsecus accedat, ueluti statuę aurum quo inauratur.

Quarta positio, aliqua omnium rerum cognitio ad perfectum oratorem constituendum est omnino necessaria. Quoniam, ut est dictum, eius materia sunt res omnes; &, ut etiam statuimus, non potest de re ulla dicere, ni aliquo pacto ab eo fuerit percepta: igitur. Hanc doctrinam multorum auctoritate confirmare licet. Ita expresse M. Tullius, quidquid aliqui

qui dicant: Fabius in eadem uidetur esse sententia, dum in oratore perfecto quem instituẽdum sumpsit, artium requirit encyclopædiam: & perfectum esse neget, eum cui, uel parua defuerint. Parhasius, non continet, inquit, rhetorica rerum omnium peritiam, sed oratori perfecto necessariam eße affirmamus; idẽ uir eloquens Maioragius, & Perpinianus, quem hanc sententiam acriter defeudentem me audiuiße memini, ut multos alios recentiores scriptores missos faciam. Lib. 1. c. 10. Cap. 15.

Quincta positio, ista omnium rerum, siue artium scientiarumque doctrina, in oratore non debet esse ita perfecta, ut est in ijs qui singulas artes & scientias ex officio tractant; sed satis est, si tanta sit, ut orator ea teneat, quæ ad communem sensum popularemque intelligentiam, & ad fidem faciendam, & ad animos tractandos sunt accommodata; quæomnia uidere ac percipere huius artificis est proprium. Hanc doctrinam, ut arbitror tradere uoluit Antonius, qui cum nonnulla enumeraßet, quę oratori cognoscenda sũt, ita ait, Comprehendenda esse oratori puto, si minus, ut separatim de his rebus philosophorum more respõdeat, at certe ut in caußa prudenter poßit intexere; hisce autem ipsis de rebus, ut ita loquatur, ut ij qui iura, qui leges, qui ciuitates constituerunt, loquuti sunt, simpliciter, splendide, siue ulla serie disputationum, & sine ieiuna concertatione uerborum. Li. 1. ora.

Sexta positio, quam dicimus oratori necessariam eßerum cognitionem, eam sua ui ad eum perficien

dum requiri existimandum puto. Primum, ad hanc doctrinam confirmandam sumere licet argumentũ satis firmum ex parte finis. Quoniam persuasio oratori proposita potissimum pẽdet ex notitia ipsarum rerum quas Orator assumit: quod si sua ui atque natura, quod sapiẽs negaret nemo, rerum scientiã ad persuadendum confert; sine ea perfectus Orator nullo modo poterit existere. Deinde, oratio est quoddam Oratoris opus, quod ex uerbis sententiisque conficitur, & magis quidem ex rerum, quam ex uerborum bonitate: igitur ut uerborum notitia est ei sua natura necessaria, ita & rerum scientia, & quidem multo magis: neque hic de dicendi magistro loquor, sed de eo qui in caussis uersatur, cuius oratio rerum scientia debet efflorescere. Postremo eloquentia, est copiose loquens sapientia: atqui sapiẽtia absq; rerum cognitione nulla est, vel si quid est, stultitia est, ut sapienter aliquando Tullius scripsit: igitur.

Septima positio, etsi in perfecto Oratore omniũ rerum desideretur doctrina: tamen quarundam rerum cognitionem magis quam aliarum debet esse instructus; illarum nimirum, quarum crebrior est in lib.3. de orat.
dicendo usus; ut, Dialecticæ, Historicę, Poeticę, Iurisprudentię, Philosophię morum, & physiologię, quę In orat.
omnia missis aliis, sola M. Tullii auctoritate cõfirmabo. De dialectica: studiosissime inquit Tullius, in dialectica exercebar, quę quasi cõtracta & astricta eloquentia putanda est: ẽt tu Brute iudicasti te illã iustã eloquentiam, quam dialecticam dilatatã esse putant, In Bru.

tant,

tant, consequi non posse. Et alio loco, Esse igitur perfecte eloquentis puto, non eam solum facultatem habere, quę sit eius propria, fuse lateque dicendi, sed etiam uicinam eius atque finitimam Dialecticorum scientiam assumere: quanquam &c. In orat.

De historia, cognoscat etiam, ait Tullius, rerum gestarum & memorię ueteris ordinem, maxime. s. nostrę ciuitatis, sed imperiosorum populorum, regũ illustrium. Et infra, Nescire autem, quid antea quã natus sis, acciderit, id est semper eße puerũ. Quid. n. est ætas hominis, nisi cum memoria rerum ueterum cum superiorum ętate contexitur? Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumque prolatio summa cum delectatione, & auctoritatem orationi affert, & fidem. De poetica habes luculentum testimonium in oratione pro Archia: ubi quantum ex huius artis cognitione utilitatis capiat Orator luculenter exponit. Et alio loco, legendi etiam sunt poetę: cognoscenda historia, & quę ibi sequuntur. Fab. lib. 12. c. 4.

De Iurisprudentia, uaria extant apud eundem testimonia, sed vnum, uel alterum attulisse sat erit. Ius ciuile teneat, quo egẽt caussę forenses quotidie. Quid est. n. turpius, quam legitimarum & ciuilium controuersiarum patrocinia suscipere, cum sis legum & ciuilis iuris ignarus? Li. 1. or. In orat. Fab. lib. ult. c. 3.

De morum disciplina, nullibi non meminit. In primo oratorio, cum oẽm philosophiam in subtilitatem differendi, in obscuritatem naturæ, & in uitã, de hoc tertio mẽbro loquens ait. Tertiũ uero, quod semper fuit Fab. lib. j. c. 2.

fuit, nisi tenebimus, nihil oratori in quo magnus esse possit, relinquemus. Quare hic locus de uita totus oratori est perdiscendus.

In orat. *De Physiologia, quem etiam, quo grandior sit, & quodammodo excelsior, ut de Pericle dixi supra, ne physicorum quidem ignarum uolo. Omnia profecto, cum se a cælestibus rebus referet ad humanas excelsius manifestiusque & dicet, & faciet. In summa omnia complexus est, cum eloquentiæ fundamē-*
In orat. *tum fecit sapientiam, quæ est rerum diuinarum atq; humanarum notitia. Quantam autem desiderauerit in oratore scientiam tunc plane indicauit, cũ omnia quæsita, audita, lecta, disputata tractata, agitata, ei debere esse dixit. Sunt autem duo loca, in quibus omnia quæ diximus, dum hac de re scripsit, numerauit: quorum alter est in primo de oratore sermone, cum ait, Legendi etiam sunt poetæ, et quę sequuntur: alter in oratore perfecto, ubi scribit, Nec uero dialecticis modo sit instructus, sed habeat omnes philosophiæ notos & tractatos locos, &c.*

De quibusdam alijs disciplinis, ut de Musica, & Geometria, uide quæ Fabius libro primo suarũ institutionum docet. Concludamus itaque ad oratorem perfectum constituendum, non solam uerborum copiam atque elegantiam, sed etiam rerum scientiam esse necessariã, id quod his uerbis apud Ciceronem de re prosita diserendo, statuit Crassus. Illud probabilius, neque tamen uerum, quod Socrates dicere solebat, Omnes in eo quod scirent, satis esse eloquentes.

tes: Illud verius, Neque quemquam in eo disertum esse posse, quod nesciat; neque, si optime sciat, ignarusque sit facundię, ac poliendæ orationis, diserte id ipsum, de quo sciat, posse dicere.

Vt autem quæ docuimus adhuc certiora fiant, argumenta pro contraria parte allata dissoluamus.

Quod ergo ad primam rationem attinet, satis aperte ex ijs, quæ adnotauimus explicatur: facemur doctrinam in Oratore perfecto neceßariam non esse acquisitu facilem, paucos & raros esse, qui eam aßequuntur: negamus tamen non posse acquiri, cum aliqui acquisiuerint. Nec proinde reprehendendus esset, qui speciem optimi Oratoris proponens, tantum in eo requireret doctrinæ, quantum nemo assequutus est unquam; cum aliud sit docere qualis & quantus Orator esse debeat, & qualis sit hominum consuetudine spectata. Quandoquidem etiam diuinæ literæ homines in hac vita existentes ad eam perfectionem consequēdam hortantur, quam in hoc mundo non consequuntur: ut cum Dominus dixit, estote perfecti, vt Pater uester perfectus est. Proponitur itaque summum, vt ni eo perueniatur, prope accedatur: cum prima sequentem honestum sit in secundis tertijsque consistere: & homines qui summa mirantur, inferiora etiam probant. Quare, non est cur eorum, qui se studio eloquentiæ dediderunt, spes infringatur, aut languescat industria; dum quod est optimum proponimus, & in præstantibus rebus, magna sint, quæ sunt optimis proxima. Atque ego, inquit

Cice. in orat.

Mat. 6.

Cice. in orat.

quit Cicero, in summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit. Non enim quæro quis fuerit, sed quid sit illud, quo nihil possit esse præstantius, & quæ ibi sequuntur. Talem etiam Fabius sibi informandum proposuit. Et Aristoteles in politicis expresse docuit, eum qui hisce de rebus tractat, summam debere proponere reip. formam, ac Principem summum.

De secunda, non pertinet ad artem ipsam res omnes explicare quibus orator in dicendo utitur, sed solum præcepta tradere, quæ ad res ab alijs acceptas ornate, & ad persuadendum accommodate in oratione populari tractandas ualent. Cognoscit itaque per alias artes orator res de quibus suo modo disputat. Explicat ergo Rhetor præcepta dicendi, sed non res de quibus dicendum est, nisi forte communi quadam ratione, dum docet quid in omnibus sit ad persuadendum accommodatum.

De tertia, & si hęc ratio multis uerbis conflata sit; breuiter tamen a nobis euertetur. Dicimus ergo necessariam esse cuique artifici, sua ui atque natura, aliquam cognitionem eius rei, siue materiæ ex qua suum opus conficere debet: ut fabro tignario lignorum ex quibus conficienda sunt scamna, tabulę, capsæ, & id genus alia: idem de oratore dicas; qui nunquam poterit de rebus benedicere, nisi earũ, et hoc ex ipsius artis ui, cognitionem aliquam habuerit. Et sane, quomodo ornamentis a rebus sumptis, quorum magna est copia, rem de qua agit ornabit, si

eam

eam non habeat aliquo pacto cognitam? quomodo eandem amplificabit, si naturam caussas, partes, proprietates, effectus adiuncta, contraria, & similia subiectæ rei ignorauerit? Ad hęc, cum oratio constet ex rebus, & uerbis, & prima eloquentia ac sapientia sit rerum, cur rerum cognitio non pertinebit ad eum artificem, qui orationem ex rebus conficit? eam intelligo cognitionem, quæ ad ornate & prudenter dicendum est necessaria. Vbi illud admonuerim, quod est omnino memoria retinendum, satis esse artifici eam habere suæ materię notitiam, quæ ad opus bonum conficiendum est necessaria, non prorsus omnem notitiam, quæ de illa simpliciter haberi potest. Hor.

Quod si hic aduersarij dicant, satis esse ab alijs artificibus istam doctrinam sumere, id nunquam mihi satisfecit. Quomodo enim intelliget, quę sit uijs, quę natura, quæ partes, quæ proprietates, quæ caussę, qui effectus, quę contraria, similia, maiora, & minora, & alia multa, quæ ad ornate, apte, prudenterque dicendum de re proposita cognitu sunt necessaria, is qui, vt dicitur, etiam terminos ignorat? Aut igitur iste perfectus orator dicere non poterit, aut pessime dicet, aut per aliquot menses ei rei operam dare debebit, de qua sit bene & apte dicturus. Atque ita, si de rebus omnino diuersis sigillatim ei habenda esset oratio, semper ei bonarum artium scholę frequentandæ erunt: & ita, qui bonus deberet eße magister, semper rudis erit discipulus. Quid si ex tem-

templo dicendum esset? In summa, negamus cognitionem materiæ in qua tractanda uersatur, non pertinere ad oratoris perfectionem, vt supra docuimus, & probauimus.

De quarta, concedimus Dialecticum, qui de omnibus rebus ex probabilibus communibus disserere uelit, debere esse omnium artium cognitione peritũ: quales olim nonnulli fuere, qui de unaquaque re proposita se in utranque partem disputare posse profitebantur; quod, sine rerum de quibus disserere uolebant cognitione, facere minime poterant. Dialectica tamen non agit de rebus omnibus, sed rationem disputandi de omni re docet.

De quincta, Dialectica est facultas uidendi verum & probabile accommodatum ad res ipsas, & in disputationibus philosophicis: at uero Rhetorica est facultas uidendi quid sit persuasibile in populari cœtu potissime, ac etiam vbique. Quid autem probabile & persuasibile differant alibi, docuimus. Hoc vnum velim ab omnibus intelligi, quod pauci sunt qui intelligant, eam eße vim atque propriam eloquentiæ naturam, uidere persuasibilia, illisque apte ad permouendos animos uti. Facili apologo citius Agrippa secedenti a patribus plebi quod voluit persuasit, quam vllis Numę legibus persuasisset. Themistocles Atheniensem populum nouas res molientem fabella sitibundę vulpeculæ facilius deterruit, quam ullis Academię placitis deterruisset. Sertorius militem in ordine melius cohibuit duobus æquis in con-

Lib.2.de cauſ. eloq.

concionem productis, quam si Catonis militaria præcepta proposuisset: Cato denique recentes ficus proponendo facilius populum Romanum ad Carthaginis euersionem prouocauit, quam si minaces Carthaginensium literas attulisset.

De sexta, ad conficiendam orationem aptam ad persuadendũ in omni genere, et in omni materia nô tam uerborum congruitas & latinitas, sermonisque ornatus atque dialectica probabilitas requiritur, quam facultas illa quę in omni re persuasibilia uidere, & decorum in dicendo seruare potest: quam nemo habebit vnquam, ni aliquam earum rerum de quibus dicit habuerit notitiam. Totoque errant cœlo, qui omnem uim oratoriam in uerborum concinnitate & elegantia ponunt: quibus hanc grauissimã Crassi sententiam opponeres, Neque infantiam eius qui rem nouit, sed eam explicare dicendo non queat; neque inscitiam illius cui res non suppetit uerba non desint esse laudãdam: quorum si alterum sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem. Stulta igitur loquacitas, non copiosa sapientia illa censenda erit quę cum rerum doctrina non erit coniuncta: vnde & verborum omnis emanat copia atque totus orationis ornatus. Lib. 3. orat.

De septima, ad hominem disertum & imperfectum oratorem constituendum satis fortaße erit illa communis & vulgaris doctrina; ad perfectum autem & absolutum formandum, non itidem: qualis

autem

autem & quãta eſſe debeat, iam ſatis expoſuimus. Cum ergo cauſſidicum neſcio quem, neque proclamatorem, aut rabulam hoc ſermone quæramus, ſed eum uirum qui primum ſit eius artis antiſtes, cuius cum natura magnam hominis facultatem daret, tamen eſſe Deus putatur, ut & ipſum quod erat hominis proprium, non partum per nos, ſed diuinitus ad nos delatum uideatur, & quæ apud Tullium in hanc ſententiam diſputat Craſſus. Sed de hac grauiſſima difficultate hucuſque.

Cic. lib. de orat.

De magiſtri diſcipulique officio. Diſp. 7.

DVM de oratoris officio in docendis auditoribus ſcribo, non ab re fore exiſtimaui, etiam de officio Rhetoris, hoc eſt magiſtri dicendi, in erudiendis in ſchola diſcipulis aliquid adſcribere: cum hæc diſputatio ab eo qui de rhetoricis, agit nullo modo aliena ſit. Et quoniam hoc argumentum in ſola explicatione conſiſtit, ideo nonnullas afferam poſitiones, quibus ea docebo, quæ accuratus bonusque dicendi magiſter ad ſuum munus recte exercendũ ſeruare debebit.

Lege ve rep. lib. inſtit.

Prima poſitio, rhetoricam docere, eſt laude & gloria dignum. Hanc poſitionem ideo hoc loco attulimus, ut huius artis magiſtros ad eam diligentius docendam excitemus: & ut quod contra Rhetores a quibusdam dictum eſt, e medio tollamus. Huius muneris dignitas ex eo primum intelligi poteſt, quod

Cicero. in orat.

docet

docet artem omnium fere præstantissimam, de cuius dignitate a multis multa dicta fuere, & nos aliquando pauca quædam diximus: ex qua parte hoc docendi munus maximam profecto dignitatem capit. Deinde, si non esset hoc munus maxime dignum, ex eo uiri alias humili loco nati, & ignoti, maximos honores, perpetuamque gloriam non fuissent adepti: de illis quoque loquor, qui non solum cohortando, aut studia communicando docent, sed etiam artis ludum aperuerunt: ne quis Ciceronis nobis opponat distinctionem, ut Gorgias, Isocrates, Aristoteles, Quintilianus, Victorinus, & alij. Denique, si hanc artem discere est honestum, cum in ea omnes meliores Philosophi, Theologi, & Cesares studium collocauerint, cur eam docere honestum non erit? Quod si dicendi magistri, uel a Platone, uel a M. Tullio parui fieri uidentur, hi grauissimi & eloquentissimi uiri, si uniuerse loquerentur, pessime de suis præceptoribus essent meriti, a quibus eam artem didicerunt, qua perpetuam gloriam sibi compararunt: ut Cicero, de Molone, de Antiocho, de Demetrio, atque Menippo. Damnarunt igitur isti, ineptos dicendi magistros, qui cum parum essent eruditi, omnia tamen se scire arbitrabantur, & vniuersam dicendi uim in solis præceptis positam esse putabant. Lib. 2. de Caus. cloq. In Gorg.

Secunda positio, qui in schola rhetoricæ docẽdo pro dignitate uersari uoluerit, is non mediocriter debet esset eruditus. Nam, quis hoc munere prudenter pleneque perfungetur, nisi ut bonus Dialecticus,

 Ethicus,

Ethicus, Physicus, Iurisperitus, Poeta, & denique ut bonus Historicus, eloquentię, locorum, morum, perturbationum, caussarum, numerorum, & cæterarum rerum quæ in hac amplissima arte explicantur, principia, partes, caussas, species, effectus, usumque exponere, aut ab alijs exposita intelligere, & suos auditores docere poterit? meo sane iudicio, nemo, qui omnium fere artium aliquam leuem cognitionē non fuerit adeptus. Hinc est, cur Fabius Rhetor admodū bonus in exponenda rhetoricæ natura non omnino feliciter se gessit; ut omittam alios, eo minus eruditos. Et quis Aristolis rhetoricam audeat attingere, nisi illis sit artibus instructus, quas numerauimus.

Tertia positio, quoniam ei qui docere vult non satis est nosse, nisi quæ nouit sciat docere, adhibeat in docendo modum, facilitatem, & perspicuitatem ubique, breuitatem cum est opus, ne auditores pręsertim nouos confundat, aut deterreat: captui audientiū
Pallad. *sese accommodet, cum prima docentis prudentia, ut quidam scripsit, sit eius quem docet considerare personam. Sine ulla inuidia, candido animo quæ nouit*
Paraſ. c. *communicet, quod est sapientiæ proprium: nec ambitiose detineat, ut quę nouit multo pretiosiora uideantur: eorum quos docet utilitatem, non turpe lucellū propositum habeat: ad quod qui animum abiecit, nihil perfectum, nihil absolutum facit: in summa, eam artem honeste, liberaliter, & ingenue doceat, quę hominem honestum, liberalem, ingenuumque maxime decet.*

Quarta

Quarta positio, ad boni Rhetoris officium honeste exercendum requiritur morum integritas. Esto igitur aliquis sine moribus recte docere possit, honeste tamen non potest: cum in hoc munere multa sint, quę magnam honestatem desiderant, & multa quæ eam facile corrumpere possunt: ut qui in docendo sunt uersati optime norunt, his præsertim temporibus in tanta iuuenilium monum corruptela. Opus est itaque morum candore, ut teneriores annos ab iniuria sanctitas docentis, ut ait, Fabius, custodiat, Lib. I. *& ferociores licentia, grauitas deterreat. Neque.n. satis est summam præstare abstinentiam, nisi disciplinę seueritate conuenientium quoque ad se mores quoque adstrinxerit. Sumat igitur ante omnia parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorum locum, a quibus sibi liberi traduntur, existimet. Ipse nec habeat uitia, nec ferat. Non austeritas eius sit tristis, non dissoluta sit comitas: ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus ei de honesto ac bono sit sermo. Nam quo sępius monuerit, hoc rarius castigabit. Minime itaque iracundus; nec tamen eorum quę emendanda erunt dissimulator. Simplex in docendo, patiens laboris, assiduus potius, quam immodicus. Interrogantibus libenter respondeat, non interrogantes percuntetur ultro. In laudandis puerorum dictionibus, nec malignus, nec effusus: quia res altera tædium laboris, altera securitatem parit. In emendando quæ corrigenda erunt, non acerbus minimeque contumeliosus. Nam id*

Plut. opus. de li. I. educ

quidem multos a proposito studendi fugat, quod quidam sic obiurgant, quasi oderint. Ipse aliquid, immo multa quotidie dicat, quæ secum audita referant. Licet.n. satis exemplorum ex lectione suppeditet, tamẽ viua illa, ut dicitur, vox alit plenius, pręcipueq; pręceptoris, quem discipuli, si modo recte sunt instituti, & amant & verentur. Vix autem dici potest, quanto libentius imitemur eos quibus fauemus. Atque hactenus Fabius, apud quem alia quædam, legi poterunt: quę non minus pie, quam prudenter ab homine profano scripta fuere. Et, ut cum eodem hunc locum concludam, Sit ergo tam eloquentia pręditus, quam morib. præstantissimus; qui ad Phęnicis Homerici exemplum, dicere, ac facere doceat.

Quinctæ positio, quoniam eloquentia perfectio ex optima exercitatione pendet, sine qua omnis præceptio est uana, ideo nunquam se suo officio satis fecisse Rhetor putet, ni in suam scholam optimas, antiquorum more, exercitationis introduxerit formas. De hac re lege quę Fabius, tum in secundo, tum in decimo suarum institutionum libro scripta reliquit: ac etiam ea, si placet, quæ lib. quarto de Caussis eloquẽtiæ, & lib. 6. de Rhetorica diuina scripsimus: hic, huius officij sit meminisse satis. Et quoniam hac in parte plura, accuratiora pręcepta tradere nolo, quæ quisque ex se facile uideret; de rhetoris officio, hæc admonuisse sufficiat: additis etiam nonnullis alijs admonitionibus, quas libro primo & ultimo de caussis eloquentiæ attulimus. Nunc quoniam bonus in elo-

eloquentię attulimus. Nunc quoniam bonus in eloquentia progressus non solum ex bana docendi, sed ēt ex recta discendi ratione pendet, etiam de discipuli officio uniuerse dicam, & quidem paucis: quibus addes ea quæ libris proxime citatis huc pertinentia inuenies. Cum itaque hoc loco nolim ab incunabulis, vel uniuerse, uel priuatim aliquem discipulum instituere, rem propositam leuiter attingendo, ita statuo. Boet. Raban. Hugo. Barthol. Mędum. De offic. Schol.

Sexta positio, cum nō ex omni legno, ut est in prouerbio, fiat Mercurius, in rhetoricę candidato bona uel saltem mediocriter apta supponitur natura: quaèlis autem esse debeat, quomodo iudicanda, & alenda sit, libro de Caussis Eloquentię primo fuse lateq; docuimus. Et quod etiam huc facit, uita optime instituta, cum mens uitijs occupata, pulcherrimi operis studio uacare non possit: & si in animam peccato subiectam non intret sapientia, ut sapiens ait, neque eius comes intrabit eloquētia. Cum itaque omnis malus sit stultus, & omnis stultus iudicio & consilio careat: nunquam qui animo est malo eam perdiscet artem, quæ summo iudicio atque consilio nititur. Quare, ut cæterarum artium, ita eloquentiæ fundamentum est sapientia, cuius initium est timor Domini, ut diuinæ literę doceat. Ideo legimus eos maximos in bonis studijs fecisse progressus, qui ad quotidianos labores pietatem adhibuerunt, sapientiāque a Deo omnium bonorum largitore, ut diuus Iacobus monet, petierunt. Par. c. 10 & 11. Sap. 1. Psal. 11. Iacob.

Septima positio, ubi bonus piusque discipulus erga Deum primum magistrum suo functus erit officio, pie quoque erga humanum pręceptorem se gerat, eũque tanquam alterum parentem honoret & colat.

Li.2.c.9. *Discipulos, inquit Fabius, id unum interim moneo, ut præceptores suos non minus quam ipsa studia ament: & parentes eße, non quidem corporum, sed mentium credant. Multum hęc pietas confert studio. Nam ita & libenter audient, & dictis credẽt, & esse similes concupiscent: in ipsos denique cœtus scholarum læti & alacres conuenient: emendati nõ irascentur, laudati gaudebunt: ut sint carissimi studio merebuntur. Nam, ut illorum officium est docere, sic horum prębere se dociles: alioqui neutrum sine altero sufficiet. Et sicut hominis ortus ex utroque gignentium confertur, et frustra sparseris semina, nisi illa præmolitus fuerit sulcus: ita eloquentia coalescere nequit, nisi sociata tradentis accipientisque*

Quin. *concordia. Hæc Fabius. Quo loco, si longus esse*

Mend.li. *uellem, multis exemplis ostenderem, quam malos*

de ingr. *exitus habuerint illi, qui in suos pręceptores minus grati & pij fuere. Hoc unum dixerim, eos discipulos, qui se erga suos magistros ingratos exhibent, pessimę indolis specimen haud obscurum prębere. Est. n. uerissimus ille Publiani uersiculus, Dixeris maledicta cuncta, cum ingratum hominem dixeris. Contra uero qui grati in suos præceptores existunt, ij sane plæclara indole se ornatos esse demonstrant:*

Iul.Cap. *ut fuit Cæsar Augustus in Sardonem: M. Antonius*

in

in Frontinum & Apollonium; quorum etiam in suo
Larario, honoris caussa, statuas habebat: Octauia-
nus in Spherum pędagogum & libertum suum. Hos
itaque & horum similes animo & genere nobiles bo
nus imitetur discipulus: ut turpissimam illam ingra-
ti animi notam fugiat. Fugiet autem, si huius pul- Rab. Eleaz.
cherrimi, quod quidã Rabbinus discipulo dabat, me-
minerit pręcepti, Iehi mora rabbecha, camora, scia
maim, hoc est, sit timor præceptoris tui sicut timor
timor cœli, siue Dei.

Octaua positio, ut bonus discipulus suo fungatur
officio, erga sua studia optime affectus esse debebit:
erit autem, si discendi studio flagrabit, si unam dili-
gentiam, in qua totam uim acquirendæ eloquentiæ
Cicero positam esse dixit, sibi adhibenda statuet: sta- Li.2. or.
tuet autem, si intelliget nullam esse artem, quę maio
rem curam operam, atque industriam requirat, quã
quæ est omnium pręstantissima, & ex omnibus con-
ficitur artibus; præsertim ex illis, quæ in eo deside-
rantur, qui ad eloquentiam comparandam accedit;
ut est non mediocris lingue latinæ notitia, historiarũ
cognitio, ac Dialecticæ doctrina. Quid autem dicen- Lib. 4.
do, legendoque facere debeat, alibi docuimus. Nunc deCaus.
summatim dixerim, eum in eloquentia & omni bona eloq.
rum artium genere facile progressurum, qui auscul-
tationem, lectionem, cogitationem, scriptionem, repe
titionẽ, præcationemque accurate adhibuerit: his. n.
fere rebus continentur omnia, quibus in litera-
rum curriculo maximi processus fiunt.

Nona positio, ubi artis pręcepta nouerit, atque etiam dum ea ediscit, illud omnino sibi faciendum putet, ni tempus operam, & sumptus uult perdere, ut quę didicit artis documenta ad usum optimum dicendi artificē ac magistrū traducat: sine quo nihil prorsus audiuisse, & alia in re tempus posuiße, pręstitisset. Id, ut est omnibus exploratum, ita facile ab omnibus fere, non sine stultitiæ significatione, contemnitur. Atque hęc de discipuli officio potius indicasse, quam docuisse in pręsentia uolui: cætera, ut dixi, ex alijs repetantur locis. Et quoniam de primo Oratoris officio satis abunde scripsimus, ad secundi explicationem transitum faciamus.

Libri Primi finis.

DE OFFICIO ORATORIS

LIBER II.

In quo de officio delectandi agitur, & absoluta de ridiculis, iocisue habet ur disputatio.

An delectare sit proprium oratoris officium. Disputatio I.

EXPLICATIS *ijs quæ de primo oratoris officio nobis dicenda erant; nunc de altero, quod positum est in delectando, secundo loco iuxta ea quæ supra docuimus, nobis agendum est; de quo hac methodo disputaturi sumus. Primum, huius muneris uim explanabimus: deinde priuatim de iocis quibus auditorum animi recreantur, atque capiuntur agemus. Quod ad primum attinet, hę mihi occurrunt dubitandi rationes.*

Primum, delectatio tota uidetur eße Poetarum, cum ars poetica præcipue ad delectandum sit comparata: ideo Flaccus aliquando dixit, Cic. li.1. de leg. In poet.

Aut prodesse uolunt, aut delectare poetæ.

Non

Non erit igitur oratoris, qui omnia serio agit, quicquam dicere, quod ad delectationem pertineat. Adde etiam quod loci & facetiæ, quæ ad delectandum adhibentur, ut leues ad mimos pertinere uidentur.

Deinde, ea ad oratoris munera & officia spectãt, quæ maxime conferunt ad persuadendum; cum, ut sæpe dictum est, tota officij ratio a fine sumenda sit: at is qui delectat, non persuadet, nec quicquam præstat, quod proxime ad persuadendum conferat; immo potius, dum solum auditores lætitia perfundit, eos a re & a caussa distrait: qui suauitate, quasi syrenarum cantu, deliniti, quid ratio, quid æquitas requirat non animaduertunt: igitur.

In Brut. *Postea, ex M. Tullio, duæ sunt summæ in oratore laudes, una subtiliter disputandi ad docendum, altera grauiter dicendi ad animos audientium permouendos: reijcienda igitur tertia, qua suauiter ad delectandum dicitur.*

Ad hæc, delectatio est motus & affectus quidam, vt est omnino per se manifestum: quare hoc munus, quod est in delectando positum, non uidetur esse a tertio diuersum. Quo etiam loco dubitari potest, an animorum conciliatio sit quid ab eorundem delectatione distinctum.

Quod ad opiniones attinet, nihil mihi dicendum occurrit, præter ea quæ supra scripsi: nam, qui unicum dicendi munus oratori tribuunt, eidem hoc secundum negant, & quasi accessorium putant: Quod

etiam Aristoteles significasse uidetur, cum præter unam fidem, reliqua omnia προσθῆκαι, *id est additamenta appellauit: qui tamen postea diligentilissime de affectibus disputauit: & quod attinet ad ridicula, in fine rhetoricæ oratorem ad ea quæ in poetica scripserat remittit.* Li.1.rhe. c.1. Lib.2.

Ad huius dubitationis elucidationem hoc unum adnotauerim, duo esse motuum genera, alterum lene, remißum æquabile, quo auditorum animi leniter tractantur & afficiuntur: alterum uero graue, concitatum, atque inflammatum; quo, qui audiunt, uehementius permouẽtur, & concitantur. Quando orator hoc secundo fungitur officio, primũ genus adhibere conatur, dum eam animi partem qua concupiscimus orationis suauitate tractat, & dicẽdi genere animos capit, & captos detinet: alterum uero genus, cum tertio munere perfungitur, ut postea planius dicetur. Ad quæ duo munera obeunda uarijs utitur præsidijs, ut ex utrorumque explicatione patebit. Quare, licet in utriusque muneris functione, aliquis animorum motus intercedat: tamen non parum inter se isti motus distant; ut ex ijs quæ dicemus, omnino perspicuum fiet. Hac itaque distinctione posita, quid de hoc secundo officio sentiendum sit, quibusdã positionibus doceamus.

Prima positio, delectatio est quædam animi permotio ex re præsenti nata, qua affecti & capti in re quam agimus, aut percipimus libenter conquiescimus, & sine fastidio detinemur. Cum itaque orator

ita dicit, ut suauitate quadam perfundat, & quasi lenocinio audientis animum alliciat, erigat, exhilaret, atque audiendi desiderio incendat, delectare, ac conciliare dicitur.

Secunda positio, quamuis inter conciliationem & delectationem aliquid possit assignari discriminis, quod illa animum auersum, aut parum beneuolum sibi gratum reddat; hęc uero, quodam allectamento, & quasi blanditijs capiat, & detineat: tamē hoc loco pro eodem sumuntur; cum utraque in quadam leni animorum tractatione cōsistat. Hinc est quod Antonius, hoc secundum munus expositurus, de animorum conciliatione egit: cui ob affinitatem, de affectuum commotione tractationem subiecit; & postea de iocis, quibus potissimum gignitur delectatio, disputauit. Cum ergo quæ conciliant, delectent, & quæ delectant concilient, iure optimo hęc duo simul tractantur, & pro eodem sumuntur. Li.2. or.

Tertia positio, delectare & conciliare ad officiū pertinent oratoris. Primum patet hæc positio ex communi Rhetorum doctrina, & speciatim ex M. Tullio, locis superius citatis; ad quæ adde hunc aliū. Necesse tamen est oratori, quem quærimus, controuersias explicare forenses dicendi genere apto ad docendum, ad delectandum, ad permouendum. Deinde ex auditorum natura; qui, cum ut plurimum sint populares, non audiunt libenter, nisi dicendi suauitate detineantur. Delectatur enim audiens multitudo, & ducitur oratione, & quasi uoluptate quadam

per-

perfunditur. Quid enim est tamen iucundum cogni tu, atque auditu, quam sapientissimis sententijs gra- uissimisque uerbis ornata oratio, & perpolta? Et hinc est, ut auditor eum oratorem probet, a quo se delectari sentit, etiam si fuerit mediocris: tenet.n. aures, inquit Tullius, uel mediocris orator, modo sit aliquid in eo. Postremo, quoniam, qui delectatione est affectus, facile quo uolueris ducitur, ac persuade- tur: quo fit, ut delectatio ad finem consequendum maxime conferat; ac proinde necessario ad oratoris munus pertineat. Non solum itaque docendus est auditor, sed etiam orationis suauitate & elegan- tia delectandus: qua, & libentius audit, & facilius capitur, & quo impellis ducitur. Nemo enim ad a- gendum flectitur, si grauate, si moleste audiat. Faci- lius ergo percipimus, cognoscimusque quod animum delectat: quia suauitas illa non modo excitat atten- tionem & diligentiam, sed etiam fallit onus & labo rem. Argumento sit musicæ uoluptas, quam natu- ra inquit Fabius, uidetur ad tollendos facilius labo- res uelut muneri nobis dedisse. Siquidem & remigẽ cantus hortatur: nec solum in ijs operibus, in qui- bus plurimum conatus, præeunte aliqua iucunda uoce, conspirat; sed etiam singulorum fatigatio, quã- libet se rudi modulatione solatur. Huc facit quod Homerus Concionatores bonis cicadis similes fecit, quæ uocem delectabilem emittunt: quamuis simi- litudo ista, ut nonnullæ aliæ eiusdem auctoris, sit pa- rugrauis.

De opt. gen. orat. Ar, li. 3. c. 21. Quin. li. 6. c. 4. In Brut. Au. li. 8. de doct. Chri.

Quan-

Quarta positio, animorum conciliatio, & delectatio partim uerbis & ipso dicendi genere, partim rebus & sententijs, partim uero genere ipso actionis & pronuntiationis continetur. Verbis inquam apposite translatis, concinne collocatis, & numerose fluentibus: quibusdam sententiarum figuris, ut sunt omnes illæ quæ in uerborum similitudine, immutatione, & repetitione consistunt, & quæ ad rem aliquā describendam, & ob oculos ponendam conferunt. Sententijs acutis, de rebus iucundis, gratis, nouis, inauditis, delectat enim quidquid est admirabile: & denique quæ amabilium morum significationem præbent. Valet igitur, inquit Antonius, multum ad uincendum, probari mores, instituta, & facta, & uitam eorum qui caussas agunt, & eorum pro quibus; & quæ apud ipsum de animis conciliandis sequuntur. Horum igitur, concludens ait, exprimere mores oratione, iustos, integros, religiosos, timidos, perferentes iniuriarum, mirum quiddam ualet. De pronuntiatione, & actione, Sed, idem Antonius loquitur, hæc adiuuant in oratione, lenitas uocis, uultus, pudoris significatio, uerborum comitas. Hanc nostram positionem, idem his uerbis tradidit. Genere enim quodā sententiarum, & genere uerborum, adhibita etiam actione leni facultateque significandi, efficitur, ut probi, ut bene morati, ut boni uiri esse uideamur.

Cice. in Par.
Cice. de op. gen. or.
in par.
Li. 2. or.

Et ut cum Tullio concludam, Tenet aures mediocris orator, sit modo aliquid in eo: nec res ulla plus apud animos hoīum, quā ordo et ornatus orationis ualet.

Quin-

Quincta positio, delectatio in omnibus orationis partibus, quasi sanguis & color in toto corpore debet esse fusa, sed maxime in exordio & narratione. In exordio quidem, quia animi auditorũ conciliandi sunt: qua autem ratione concilientur, libro de dispositione docuimus. In narratione uero, quoniam nullus sermo est ingratior, quam is quo sine suauitate narramus; ac proinde hæc pars potissimum suauitate debet esse aspersa. Quo autem modo suauis fiat narratio, citato docuimus libro. His ita probatis, restat ut ad argumẽta respondeamus. Ci, in pa.

Ad primũ, quamuis Poetę magis quam oratores delectare debeãt: tamẽ hoc etiam munus ad oratores pertinet; cũ eos apud quos dicunt beneuolos habere & detinere debeant. Nec mirũ uideri debet, si hi duo artifices in hoc munere cõueniãt; cum sint inter se maxime cognati: quãuis longe diuersa ratione ab vtroque prędetur. Mimorum vero ioci & facetiæ sunt maxime diuersę ab oratorijs, vt postea dicetur.

Ad secundum, negamus delectationem non conferre ad persuadendum, cum delectatio oratorẽ gratum beneuolumque reddat, & auditorem detineat: & sæpe etiam ad argumenta dissoluenda conferat. Nec animum auertit, sed potius excitat & acuit: et ipsa animi auersio, suis locis adhibita, ut cum aduersariorum argumenta dissoluenda sunt, non est inutilis.

Ad tertium, qui iocis apte vtitur, subtiliter disputat, ac proinde commendandus est.

Ad

Ad quartum, hoc argumentum aßumit falsum quia motus delectationis est longe diuersus ab eo, quo ad aliquid agendũ, aut ad assentiendum auditores traducimus: idque, vel ex eo patet, quod multi delectant, sed non mouent: & tamen motus gratai omnis ab Oratore sumitur disputatio, sed de hac re hucusque: de qua in opere de oratore diuino nonnihil diximus. Qua autem ratione orator delectare, & hoc officio fungi debeat, postea, cum de Iocorum vsu agetur, plane explicabo: de quibus nunc disputare aggrediar.

An Ioci possint arte tradi. disp. 2.

QVoniam ioci & facetiæ priuatam uim ad delectandum habent; idcirco delectandi munere vniuerse exposito Ciceronis uestigia sequentes, de iocis aliquid nobis scribendum duximus. De quibus, etsi homines eruditi hactenus multa scripserint: tamen cum eandem rem longe diuersa ratione explicaturi simus, hic fortasse a nobis. non frustra suscipietur labor.

Primum itaque docebimus an aliqua ars de ridiculis tradi possit, & ad quem artificem eorum explicatio pertineat: Deinde, quæ sit ridiculorum natura, quę caussę naturales: Postea de ijs quæ ad risum cõmouendum uim habent: Pręterea, varias ridiculorum diuisiones, & species siue modos in medium afferemus: Iam uero locos ac sedes indicabimus, vnde

de ridicula priuatim eruantur: Ad hęc de iocandi necessitate, & virtute: Postremo, de honesta iocandi ratione, siue de recto iocorum vsu. Quod igitur ad primum caput attinet, iocos nulla arte tractari posse, his argumentis demonstro.

Primum, si hæc de iocis doctrina esset artis capax, eam profecto Gręci tradidissent; cum ab ipsis, vt aliqui arbitrantur, omnes dimanarint, aut certe perfectæ fuerint artes: at hi de salibus insulse scripserunt: certum igitur indicium habemus arte tradi non posse. Quod sumptum fuit, Cæsaris auctoritate confirmare licet: qui, cum Gręcorum libros se uidisse, seque ex illis de hac re aliquid discere posse in spem venisse, dixisset, hęc adiecit verba, Sed qui eius rei rationem quandam conati sunt, artemque tradere, sic insulsi extiterunt, ut nihil aliud eorum, nisi ipsa insulsitas rideatur. Ad hanc rationem confirmandam accedat etiam Antonij, aut potius ipsius Ciceronis auctoritas, qui ridicula arte tradi non posse existimauit. His etiam subscripsisse uidetur Fabius, qui cum dixisset, eorum aliquam obseruationē esse posse, hęc verba adiecit, Ita plane affirmo, præcipue positum esse in natura, & occasione: ubi quid utrunque possit, explanat. Diog. Laer. Lib.2.orat. Lib.6.c.c.3.

Deinde, de eo quod a natura tribuitur, nulla potest esse, nec necessaria est ars; vt de edendo, de spectando: atqui, ut idem Cæsar disputat, natura fingit homines & creat imitatores, & narratores facetos,

tos, & vultu adiuante, & uoce, & ipso genere sermonis: igitur.

Preterea, si ridiculorum ulla potest esse artificiosa præceptio, maxime ratione locorum ex quibus ad ad risum ciendum ridicula sumuntur: atqui isti loci sunt incerti & inefficaces; ut ex ijs cognoscere licet, quæ de eis Tullius, Fabius, & alij scripserunt: igitur.

Postremo, hanc disputationem ad Rhetorem non pertinere hac ratione demonstro: de risu cum sit effectus quidam naturalis, & caussas habeat naturales disserere debet Physiologus, qui rerum quę natura existunt, caussas inquirit: de facetijs & urbanitatibus, ut sunt honestatis & turpitudinis capaces, is qui mores tractat, ut Aristoteles in Ethicis fecit: de
Lib.4. ijsdem, vt risum commouent, potius Poeta, aut Historio, quam Rhetor agere debet: aliena igitur a Rhetorica scriptione hæc disputatio censenda erit. In hac difficultate, quod attinet ad scriptorum opiniones, hi possunt notari dicendi modi.

Primus eorum, qui affirmant nullam certam artem doctrinamque de ridiculis fieri posse, ob eam potissimum rationem quam secundo loco attulimus. Hinc est, quod aliqui de ridiculis agentes, potius hi-
Macr. storiam quandam, multa ridicula hinc inde colligentes, quam artem confecerunt, & nulla præcepta de ridiculorum natura, usu ve tradiderunt.

Secundus aliorum, qui existimarunt ridiculorũ

non

non esse artem, sed solum obseruationem quandam. Ita Cæsar, & Antonius apud Ciceronem, Fabius, & alij nonnulli.

Tertius aliorum qui putarunt aliquam esse poße facetiarum artem. In hac sentẽtia Aristotelem fuisse ex eius scriptis colligere licet: eandem uarijs in locis tenuit Pontanus, ac etiam Madius.

Ad hanc difficultatem explicandam, nonnulla ponemus fundamenta, si prius aliquot auctores, qui de iocis scripsere indicauerimus. Scripsit de iocis quædam Herennianus auctor, M. Tullius in secundo de oratore sermone, Fabius libro sexto suarum institutionum, & horum auctorum expositores. Robortellius, sed satis ieiunne; multo melius Madius: Ioannes Iouianus Pontanus libro tertio & quarto de Sermone fuse, & confusse, Macrobius antiquorum ridiculorum multa exempla coaceruauit. Melchior Iunius de præceptis dicendi: Scripsit etiam Aristoteles in poetica; sed hæc pars temporum iniuria ad nos non peruenit, ut etiam ea quæ eadem de re eius discipulus scripsit Theophrastus. Philel.l. 6. Cap.13.

Primum fundamentum, in quo quasdam explicabo uoces quibus in hac tractatione auctores passim utuntur: quæ & si uim habent diuersam; interdum tamen promiscue usurpantur: sunt autem sequentes.

Ridiculum, uocabulum ductum a uerbo Rideo, quod proprie risum edere significat: at si cum accusandi casu iungatur, idem ualet, quod deridere, & irridere,

ridere, hoc est, deludere, & cum risu contemnere: Translate, lętum esse significat: unde, ridibundus, hoc est, admodum lętus hilaris, & abunde ridens. Arridere, est applaudere, animi lætitiam ridendo ostendere, & placere: & Obrideo, ac Subrideo, hoc est, parum, siue latenter rideo. Ridiculum ergo designat rem, gestum ue, & sermonem risum excitantẽ aut animum aliqua oblectatione commouentem: & adiectiue, Ridicularium, quod idem ualet, ac ridiculum, quod risum mouere potest, & interdum studiosum excitandi risum significat. Hinc etiam Ridiculus, hoc est is qui alijs derisui est, & is de quo alij rident: & aliquando is qui alios ridere facit: ut cum dicitur, Ridiculi, id est Ioculares nihil fiunt. Hinc denique, Ridicule, id est facete, per iocum.

Iocus, & in numero multitudinis, Ioci, & Ioca, a verbo Iocari, quod est facete & uenuste loqui, & cauillari: quod per literarum mutationem a verbo Iuuo, aliqui ductum putant: idem ualet, quod risus, ludus, facetiæ, lepores, & cauilli. Inter iocum & ludum illud discriminis quidam ponunt, ut ludus sit in factis, iocus in uerbis. Hinc Ioculus, diminutiuũ, Iocosum, quod ad iocum pertinet; cui contrariũ est. Serium: Iocularium, quod Ioco dicitur, uel quod est ioco dignum: & Ioculatorius, atque Ioculare, quod per iocum fit: & denique ioco, iocose, & iculariter, hoc est festiue, & per iocum.

Sal salis, & sales per metaphoram a condituris cibariorum, ridiculum, iocum, urbanitatemque, & ali-

aliquid ſapide iocoſeque dictum ſignificat: Huc pertinere uidetur Catullianum illud,

Nulla in tam magno corpore mica ſalis. Catul.

hoc eſt, nihil facetum, nihil argutum, atque uenuſtum; uel, ut Fabius ait, nihil in eius corpore eſt ridiculum. Et, ſalſum, de qua uoce hæc ſcribit citatus auctor, Salſum igitur erit, quod non eſt inſulſum, uelut quoddam ſimplex orationis condimentum, quod ſentitur latente iudicio, uelut palato, excitatque, & à tędio defendit orationem. Sane tamen, ut ille in cibis paullo liberalius aſperſus, ſi tamen non ſit immodicus, affert aliquid proprie uoluptatis, ita hi quoque in dicendo habent quiddam, quod nobis faciat audiendi ſitim. Salſe, idem eſt quod facete, & cum ſapore aliquid dicere. At uero, cum ſale, aut ſalibus aliquid efferre, & ſale aſpergere, idem eſt quod mordere, & paullo liberius aliquem carpere. Vnde græce, ſales σίλλοι, id eſt conuicia, quaſi τίλλοι: τίλλειν autem idem eſt quod σκώπτειν, id eſt cauillari, & ſalens fundere. Eustha. Iliad. 3.

Facetiæ a fando, uel ageſtibus faciendis ſic dictę, ſunt Ioci, ſales, & delitię quædam ſermonis, & urbana dicta ſine ſcurrilitate; quæ tum in factis, tum in dictis eſſe poſſunt. Ideo aliquando Cicero dixit, quod facete dicitur, id alias in re, alias in uerbo facetias habet. Facetiæ igitur ſunt ioci, qui cum lepore ſine offenſione, aut cum aliqua offenſiuncula, gratia & lepore condita, eduntur: qui potius commen- Cic. 2. or

mendationem, atque approbationem, quam risum ingerunt. Verum hoc uocabulum priuatim designat narationem sermonemque perpetuum, quo aliqua fabella salibus aspersa cum lepore & gratia explicatur. Sales latius patent, quam facetiæ, ut ex M. Tullio colligere licet, cum ait, Huic generi orationis aspergentur etiam sales: quorum duo sunt genera, unum facetiarum, alterum dicacitatis. Hinc facetus, id est salsus, urbanus, argutus, sermone festiuus, & dulcis: qui iocis citra scurrilitatem abundat: & Facetosus, quod idem significat: atque facete, hoc est, salse, ridicule, concinne, atque venuste. Idem.n. ualet interdum facetus, quod concinnns, uenustus, decorus, excultus, & elegans. In ridiculis autem nihil dicitur facetum, nisi sit liberale, & decorum: unde non omnia ridicula sunt faceta.

Vrbanitas, de qua hęc scribit Fabius, Nam & Vrbanitas dicitur, qua quidem significari uideo sermonem præ se ferentem in uerbis, & sono, & usu proprium quendam gustum urbis, & sumptam ex conuersatione doctorum tacitam eruditionem, denique, cui contraria sit rusticitas. Ea itaque est urbanitas, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum ullo sensu potest deprehendi. Cæterum, hoc loco speciatim eum iocum designat, qui cum uirtute fit, ad animum cum honestate exhilarandum, ab homine liberaliter & vrbane edocato: cui contraria est Inurbanitas, rusticitas,

atque

atque scurrilitas: quæ duo uitia a mediocritate, qua uirtus continetur, recedunt. Sed de Vrbanitate infra paullo accuratius agetur. Hinc, Vrbanus; hoc est, facetus, cultus, non rusticus, & peregrinus, & urbane, id est facete, modeste, & eleganter.

Dictum & dicta, quæ, & si de omni sermone dicantur: tamen speciatim pro iocis & salibus sumuntur, quæ ob salem asperiora sunt. Breuiter & acute dicta, græce scommata, quæ & dicteria uocantur. Dicacitas est sermo cum risu alios incessens; & dicax, id est paullo nimium facetus, qui malignis salibus maledicit: a qua dicacitate, cum alienus fuerit Demosthenes, urbanus quidem dictus est, sed non dicax. Quare dicta, ut plurimum, continent conuicia & contumeliarum aculeos. Vniuerse tamen, Dictum, est breue & acutum iocantis acumen, quod aliquando in uerbo, aliquando in sententia cernitur: sed si sit nimium mordax, scurrilis dicacitas uocatur. Est autem scurrilitas procax atque petulans dicacitas: Scurra uero qui risum ab auditoribus captat, non seruata dignitate personæ, qui cacchinnos lacessit, & effringit ora, sed & ipse ridetur.

Mimi, sunt poemata lasciuiam sine reuerẽtia imitantia, facta ridicula: & mimicus, quod ad mimum pertinet. Dicuntur etiam mimi, effictores, qui gesticulationibus aliorum dicta, facta, & mores imitantur. Est itaque mimus, dictorum, uel factorum impudens, lasciuaque imitatio: & homo mimus, qui

leuiculos homines in hilaritatem resoluit, sed citra dignitatem, sunt & mimi poetę, qui mimos faciunt.

Mimorum similes sunt Sanniones, qui soluto risu & contortis totius corporis partibus quempiam irrident, moresque aliorũ ita inepto gestu exprimunt, ut cum alios irrideant, ipsi sint ridiculi. Quid enim, ait Tullius, potest esse tam ridiculus, quam Sannio? qui ore, uultu, imitandis moribus, uoce denique corpore ridetur ipso. Sic dicti a Sanna, hoc est ab irrisione, quæ distorto ore & labris contractis, anteriorum dentium ostentatione fit. Hinc, Desanno, subsanno, & sannatores.

Lepor & lepos, gręce calliepia, carientismus, idem est quod festiuitas, iucunditas, & urbanitas, gratia, & uoluptatis cuiusque amoenitas. Dicitur de gustu, forma, & sermone, quasi sit quædam sermonis lautitia: in oratione, lepor est concinnitas, & elegantia, ornatusque scitus. Hinc lepidus, leporis, plenus, quod de homine, de oratione, deque rebus alijs dicitur; ut lepidus homo, lepida oratio, lepidus dies: & lepide, id est eleganter, cum gratia, & uenustate.

Festiuitas, lætitiam & iucunditatem designat, quam uultu & uerbis quispiam præ se fert; hilaritatem nimirum quandam liberalem; & festiue, hoc est belle, & cum grata hilaritate.

Comitas, quæ magis in moribus, quam in iocis spectatur, & facilitatem, humanitatem, morumque suauitatem designat: cui contraria est seueritas, &

quædam

quædam grauitas acerba. Hinc comis, id est benignus, facilis, suauis, tractabilis: &, comiter, id est benigne, mansuete, suauiter, non grauate. Atque hæ sunt uoces illę, quarum explicationem pro hac tractatione necessariam existimaui. Cic. pro Cor. Ba.

Secundum fundamentum, eiusdem rei uaria ratione consideratæ explicationem ad uarios artifices pertinere posse, omnes uiri docti docent, & re ipsa demostrant. Id, si quidam minus eruditi animaduerterēt, non damnarent eos, qui nonnulla in arte dicendi exponuut, quæ etiam in aliqua alia facultate tradūtur; vt sunt loci topici, humanæ perturbationes, quęstionum uarietas, & id genus alia; in quibus etiam iocos reponeres: quorum tractatio ad diuersos artifices pertinere potest; vt planius in positionibus docebo; quas, his notatis nunc subijcio. Ari. li. 2. phys.

Prima positio, Tractatio de ridiculis ad uarios artifices pertinet, nimium ad Physiologum, & Ethicū doctorem, ad Poetam, & ad Rhetorem: diuersa tamen, vt ante dicebam, ratione. Naturę speculator naturales caußas inquirit: Morum magister eorum honestatem, turpitudinem, usumque in communi uita demonstrat: Poeta & Rhetor quo pacto dicendo ridicula excitari possint, & qui sit eorum in dicendo vsus; & ut ad animos oblectandos conferunt. Quam uis, neque hi duo artifices eadem prorsus ratione de ridiculis agant, neque illis eodem utantur modo: qua de re hic subtilius dißerere nolo.

Secunda positio, de ridiculis, siue iocis, vt sunt effectus

fectus quidam naturales potest esse certa doctrina & scientia. Hæc positio est manifesta; quia sub hac consideratione suas habet caussas; quas qui nouerit, iuxta doctrinam sæpe ab Aristotele traditam; certã eorum habebit notitiam.

Li.1.ph: et 2.phy.

Tertia positio, de ridiculis, vt sunt actus humani honestatis & turpitudinis capaces, certa doctrina tradi potest: Quoniam Vrbanitas est quædam uirtus, quæ in mediocritate consistit, ut postea planius docebo: at de uirtutibus certa haberi potest cognitio; ut ex Ethicis Aristotelis patet: igitur. Habet enim uirtutes sua principia, suas caussas, suasque proprietates, & affectus.

Li.3.c.x.

Quarta positio, de ridiculis, ut habent uim delectandi ars aliqua esse potest. Primum, probant aliqui hanc ueritatem ex hoc Aristotelis loco, qui in Rhetoricis habetur, Nam posse facete dicere, aut ingeniosi est, aut exercitati: docere autem doctrinæ huius, id est, artis dicendi. Cæterum hic locus non de iocis, sed de urbana, hoc est de emendata eloquutione quam nos Latinam appellamus intelligendus est: qui tamen ad id quod docemus confirmandum aliquam uim habet. Et sane, non est credendum Aristotelem & Theophrastum sine arte de ridiculis egisse: quorum scripta si Cæsar uidisset, aliter fortasse de Græcis sensisset. Deinde, risus est quidam naturalis effectus, qui excitatur a ridiculis, ex certis locis sumptis, & aliqua redditur ratio cur ridicula apta delectent, & inepta non sint ad delectandum accommodata; et

tur

cur magis aliqui sint ad iocos facti, quam alij: at qui caussam alicuius rei tenet, is artem habet: igitur de ridiculis ars esse poterit aliqua. Præterea, cum de ornate loquendo quædam detur ars, quod aduersarij fatentur, quamuis reperiatur eloquentia quædam naturalis; cur non etiam esse poterit ars quædam iocandi, licet iocus quandam dexteritatem a natura tributam requirat? Et ut inuenti sunt loci artificiosi, unde argumenta ad aliquid probandum sumuntur: ita etiam sedes quædam in quibus ridicula latent, ob seruatę fuere. Quare, si incultæ naturę iocandi ar tem inseras, bona fient dicteria: non secus ac si arbo ribus siluestribus domesticos per culturã surculos insereres. Postremo, res ipsa idem confirmat, cum ui- deamus quosdam hac de re certa dedisse præcepta, quæ si quis teneat, prompte, & apte iocari, & eorũ quæ ad delectandum adducit, cur delectent, rationẽ reddere poterit: qua doctrina, quæ ex se non sunt ri dicularia, faciet ut risum moueant, grauia ad festiui- tatem adducet, & humilia attollet.

Ari. li.j. Met.c.6.

Lib. ora.

Quincta positio, de ridiculis, quod attinet ad pri- uatos modos quibus excitantur, & ad aptum eorum usum, certa doctrina tradi non potest. Hanc positio- nem probat tertia ratio superius allata: & hoc Cice- conem & Fabium, & qui iocorum artem negarunt, affirmare uoluiße existimo: cum re uera singulares iocorum loci, & priuatus usus certa ratione non faci le doceri queãt, sed solum exercitatione quadam, & prudentia aliquo pacto cognosci poßunt: quod etiã de

de tota dicendi ratione affirmares, & Craßus apud Ciceronem affirmat. Et huc pertinet quod Aristoteles ait, sales edere, seu urbane loqui, esse τοῦ εὐφυοῦς, ἢ τοῦ γεγυμνασμένου idest ingeniosi, siue exercitati. Sed iam ad argumenta respondeamus.

Ad primum, non omnes artes inuenerunt aut perfecerunt Græci: qui quas coluerunt disciplinas, ut antiquitatis periti tradunt, eas omnes ab alijs acceperunt. Et ut paullo ante dicebam, existimandum est Aristotelem & Theophrastum hanc disputationem ad artem reuocasse. Ut omittam, quod aliqui recte fortasse scripserunt, quos Cæsar non uidit. Qua autē ratione Cæsar, & alij qui aliter quam nos de hac re sentiunt, intelligendi sint, supra docuimus: ni eos in minus probabili sententia relinquere uelis.

Theod. Chrift. Alc. Di. fic.

Ad secundum, fingit quidem natura quosdam ad iocos idoneos, ut etiam ad eloquentiam, sed eos non perficit; quod efficere est artis proprium.

Ad tertium, hoc argumentum id solum probat: quod in ultima positione docuimus: concedatur igitur.

Ad quartum, soluitur hoc argumentum ex doctrina allata in secundo fundamento & in positionibus.

Quæ

Quæ sit risus natura, siue de risus definitione. Disput. 3.

QVoniam ergo demonstratū est, de ridiculis artē fieri posse, & eorum tractationem ad Rhetorē aliquo pacto pertinere; sequitur ut ad rē ipsam pro pius accedamus, et quid sit risus doceamus, cū de uarijs eius appellationibus supra scriptum fuerit.

Sed hic nobis obijceret quispiā grauissimam Cæsaris auctoritatē, qui de iocis acturus, hanc quæstionē ad Democritū reiecit, uel qa multa hic philosophus, ut Laertius ait, de natura scripsit, uel quia perpetuo hominum stultitiam ridebat; quam ob rem χελαςῖνος *hoc est, risiuus fuit nominatus: Cæterum, ista quæstio non est omnino a re in qua uersamur aliena. Vt autē rem propositam plane explicemus, hæc statuo fundamenta.* Lib.2. Orat.

Primum fundamētum, ad intelligendum quid sit risus, supponimus hoc loco, id qđ postea accurate explanabitur, risum ortū habere ab aliqua turpitudine cognita, quæ secum aliquā nouitatem, ac proinde admirationem & uoluptatem affert. Est autem risus duplex; alter fictus, cū quis se ridere fingit, ut cum alterius risum imitatur: alter uerus, qui ex ueris et naturalibus caussis nascitur: cuius duo sūt genera, alterū, quod tactu excitatur; ut leni genuū tractatione: alterum, quod per aspectū, uel auditum commouetur: nos de uero risu, & de eo qui potissimū ex auditu oritur

acturi sumus. Cũ ita itaque homo, qui est animal rationis cõpos aliquid subturpe, nouum, et aliqua admiratione dignũ percipit, excitatur in animo motus quidam præter electionẽ. Hic motus uitales spiritus & sanguinẽ excitat, unde sequitur caloris effusio: & cordis dilatatio, præcordiorũque commotio, atque diaphragmatis, siue septi transuersi, & musculorũ, qui sunt ad oris latera cõstrictio. Spiritus ergo cõmoti, ut qui sunt ṗcipua motus instrumẽta, latera, uenas, uultum, os, & oris partes quatiunt, unde risus, siue cachinnus erũpit. Quo fit, ut interior risus cõsistat, in illa animi cõmotione ex re turpi, & aliqua admiratione digna exorta: qui postea in organis corporeis apparet, et a sensibus per motũ & sonum percipitur.

Secũdum fundamentum, in quo de instrumẽtis corporeis quibus risus efficitur, & in quibus tanquã in subiecto reperitur agẽdũ est: qua in re non omnes scriptores cõsentiũt. Quidam igitur risum in liene sedem habere existimarunt, qđ tamẽ alij non approbarunt. Quoniã lien, solum remote ad risum eliciendum confert, prout atram bilẽ, siue melancholiam allicit, & sanguinem purgat; qui quo purior est, eo cõmouetur facilius, & ob calorem dilatatur; qđ ad risum ciẽdum est necessariũ. Ideo alij ex Plinij auctoritate hilaritatis sedẽ faciunt præcordia: sic enim ille scribit, Huic certe refertur accepta subtilitas mẽtis: ideo nulla est ei caro, sed neruosa exilitas. In eauẽ præcipua hilaritatis sedes, quod titillatu maxime intelligitur alarum ad quas subit, nõ alibi tenuiore cute humana: ideo sca-

Pli. li. 11. c. 37.

bendi

bēdi dulcedo ibi proxima. Ob hoc in prælijs gladiato
rumque spectaculis mortem cū risu traiecta præcor-
dia attulerunt. Alij uero priuatim in corde, ut in pri Mad.
mo corporis organo consistere arbitrantur: illudq; ar Arist. li. de mot. anim.
gumento esse dicunt, qđ cum duo sint organa, quæ præ
ter uoluntatis imperiū mouentur, cor & pudenda, et
risus in potestate nostra nō sit, a cordis motu pendere
fatendum erit: ad cuius cōmotionem mouetur etiam
diaphragma, a quo tota superior hominis pars cietur.
Quod autem ob motū cordis præter eius naturam ca
lor diffundatur, ex eo patet, quod ob nimiam caloris
dilatationē spiritus resoluūtur, et uires debilitantur;
ut illis accidit, qui risu permouentur. Eā uero cordis
dilatationē qua excitatur risus ex rei turpis cognitio
ne fieri, ex eo colligitur, qđ tandiu risus durat, quan-
diu res illa permanet, & talis apparet: qualis a prin
cipio concepta fuit, delectabilis nimirum ob allatam
caussam; unde sequitur animi dilatatio, & spirituū
ac partiū iam dictarum præter naturam, siue uolun-
tatem commotio. Ex quibus intelligi licet, cur præ
lætitia interdū gestiamus & exultemus: Quia ob rei
bonæ consequutionem, maxime si præter expectatio-
nem contingat, animus commouetur & dilatatur: un
de magna in corporis partibus sequitur commotio.
Tertium fundamentū, in quo ad risus naturā me-
lius intelligendā, quasdam naturales quæstiones ad ri
sum pertinētes breuiter explicabo. Prima q̄stio hæc
est, cur risus interdū cōtineri non queat? An quia in
illis corporis partib. sedem habet, quarum motus hu-
manæ

manę uoluntati & electioni non sunt subiectę? prę-
sertim cum ultra naturalem modum concitantur.

Secunda, cur qui risu cõtinere nituntur in cachin-
num, hoc est in profusiorem risum prorumpunt? An
quia spũs uitales compressi uehementius eas partes,
quarum adminiculo risus editur, commouent? non se-
cus ac compreßa flamma quę vehementius erumpit.

Tertia, quid caussæ est, ut per risum uires debiliten-
tur? An quia spũs & sanguis dissipantur? ex quo-
rum copia & unione uires sunt maiores.

Quarta, cur unus magis, quã alius ridet, estque ad ri-
dendum promptior? An quia unus magis, quam a-
lius spiritibus & sanguine abundat? unde melancho-
lici sunt minus ad ridendũ apti. An ẽt, quia unus me-
lius, quã alius ridendi caussam, occasionẽve percipit?

Lege Alex. par. 12. prob. 29.

Postrema, cur in risu sæpè lacrimę fundũtur? cum
id sit proprium eius qui tristitia afficitur, & plorat:
Huic questioni hunc in modum satisfaceres. Lacry-
mę ex cerebri compressione nascuntur, per quam e-
ius humiditas erumpit. Hęc autem compressio, uel
fit ob męrorem qui uim contrahendi habet; ob quam
caussam męstitia affecti lacrymas effundunt: uel ob
dilatationem cerebri: nam cerebro dilatato, ob cranei
duritiem fit compressio, & humiditatis resolutio:
quam ob rem ridentes interdum lacrymas emittunt.

Lib. 2. orat.

Solueres etiam ex dictis eas omnes quæstiones,
quas sibi prętermittendas esse existimauit Tullius,
quid sit risus, quo pacto concitetur, ubi sit, quo modo
existat, atque ita repẽte erumpat, ut teneri nequeat,

& quo

& quo modo ſimul latera, os, uenas, uultum, & oculos occupet. Atque his notatis, quaſdam ſubijcio poſitiones.

Prima poſitio, riſus hunc in modum deſcribi ſolet, Riſus eſt admiratio in homine rerum turpium citra dolorem a ratiocinio ad animum relaxandum: quam deſcriptionem ſi quis uellet, ut non ſatis accommodatam, reijceret; ſed hac in parte immorari nolo. Allij hoc pacto deſcripſerunt, Riſus eſt motus animi rationalis præter electionem, caloris effuſionem, cordiſque dilatationem, ultra id quod, ſua natura fert inſequens: ad quem motum, ſequitur diaphragmatis conſtrictio, & muſculorum, qui ſunt ad oris latera, contractio: qui cordis motus interuentu ſpeciei nouæ rei turpis, citra dolorem excitatur; hominibus ad animum relaxandum a natura tributus. Alij hoc modo, Riſus eſt motus animi in hilaritatem, latera, os, uenas, oculos concutiens. Poſſet aliquis adhuc magis abſolutam riſus definitionem conficere. ex eius cauſſis, quas nunc plane ſubijciemus. Streb.

Secunda poſitio, cauſſa efficiens interioris riſus, hoc eſt illius motus affectioniſque gratę in animo exiſtentis, eſt ſpecies rei ſubturpis præter expectationē aduenientis, cognitæ: ſubiectum, ſiue materia, eſt animus ipſe, qui ad rei iucundæ præſentiam permouetur ac dilatatur: finis eſt naturæ inſtauratio animique relaxatio. Exterioris uero riſus proxima cauſſa eſt illa animi permotio & dilatatio, a qua ſpirituum

G &

& caloris naſcitur concitatio: ex quorum agitatione partium corporis, & maxime oris ſequitur commotio. Subiectum, eſt cor, & præcordia. Omnia igitur, ſiue dicta, ſiue facta, cum quadam nouitate & admiratione ex re ſubturpi nata, quæ humanæ rationi ſe ſe obijciunt, ad riſum, delectationemque excitandam uim habent; ut planius in ſequenti diſputatione patebit.

Quo loco illud admonuerim, oratorem in iocorum uſu nō habere eum finem, ut corporis riſum excitet, ſed eum potiſſimum, ut animum oblectet, & quadam delectatione detineat, afficiatque riſum uidelicet internum non externum.

Tertia poſitio, tractatio de ridiculis non eſt ridicula, hoc eſt non leuis, non facilis, ſed grauis & ardua: cuius difficultatem hæc potiſſimum demoſtrant. Primus difficilis eſt hæc tractatio ratione cauſſarum efficientium riſum, quas non facile eſt inuenire & explicare. Deinde, non poteſt non eſſe explicatu difficile id quod eſt omnino uarium & incertum, ut eſt aptum & inodeum ridiculum; quod, ut, ait Fabius, non tam ratione aliqua, quam motu quodam neſcio an inenarrabili indicatur. Præterea, in eo etiam eſt difficultas non parua, ut rectus doceatur ridiculorum uſus, in quo etiam Ciceroni non malo ridiculorum ſcriptori defuit modus. Ideoque anceps eſt huius rei ratio, quod a riſu, non abeſt deriſus. Denique, ne plures difficultatis cauſſas percenſeam, ideo hæc tractatio

tio difficilis exstimanda est; quia quod sciam, non facile aliquem inueniens, qui hanc artem plane pleneque tradiderit.

Quid sit ridiculum. Disp. 4.

VT non facile fuit explicare quid sit risus, ita non facile, ne dicam multo difficilius est, exponere quid sit ridiculum: quod ex ijs dubitationibus quas afferam cognoscere licebit.

Primum, omnes fatentur ridicula excitari ex aliqua turpitudine cognita: locus, ait Cæsar, & regio quasi ridiculi, turpitudine & deformitate quadam continetur: hæc enim ridentur sola, uel maxime, quæ notant, & designant turpitudinem aliquam, non turpiter: at, quę turpia sunt, siue in animo, siue in corpore sint, potius miserendi, si a natura sint, si uero ex electione potius irascendi, aut indignandi occasionem præbere debente ijs qui recta utuntur ratione: male igitur assignatur hæc ridendi caussa.

Deinde, multi sunt qui dicunt, risum magis excitari a simulata, quam a uera turpitudine: quod uidetur falsum, cum maiorem uim habeat id, quod est uerũ, quã quod est simulatũ: exempli gratia, magis sensum mouent ueri flores, quam simulati, & auri uera species, quam fucata.

Præterea, risus non potest fieri sine rei nouitate & admiratione, ex quibus, vt diximus, animi nascitur commotio: quæ si uera sunt, reprehendendus est

ſet Cicero, & Fabius, & quidam alij, qui de his nihil meminerunt, dum de ridiculis late ſcribebant.

Ad hæc, turpitudo illa, quæ eſt futura cauſſa riſus, aliena eſſe debet a dolore, ut ex Ariſtotele diſcitur: neque enim quæ cum dolore in aliquo eſt turpitudo, honeſte ridendi occaſionem uiro prudenti præbere debet: atqui ſępe ridemus turpia, quæ ſunt cũ dolore coniuncta; ut cum uidemus quempiam cecidiſſe humi, uel cum deformem faciem ob acceptum vulnus intuemur: Falſa igitur eſſe uidetur doctrina iſta de turpitudine citra dolorem: quam ex eo etiam refelleres, quod Cicero nunquam meminit de iſta doloris remotione: at ſi neceſſaria foret, profecto ignorantiæ, vel negligentiæ nomine damnandus eſſet.

Quod attinet ad auctorum opiniones circa ridiculi naturam, omnes in eam iuere ſententiam, ad ridiculum requiri aliquam turpitudinem, ſed quæ, & qualis eſſe debeat, non eodem modo ab omnibus explicatur. Nam alij ſolius turpitudinis mentionem faciunt: alij addunt, debere eße alienam a dolore.

Rurſus, in eo etiam eſt diuerſus loquendi modus, an pręter turpitudinem aliquid aliud requiratur, ut quidam uolunt: ac proinde Ciceronem reprehendũt, quod non omnia attigerit, quæ ad riſum conficiendũ ſunt neceſſaria. Dicunt itaque fuiſſe diminutum quod nihil de doloris abſentia, nihil de admiratione, nihil de nouitate quam ſequitur admiratio dixerit, quę omnia ad riſum commouendum neceſſaria eſſe uidentur. Vt hanc diſputationem plane explicemus

nonnulla

nonnulla ponenda sunt fundamenta.

Primum fundamentum, in quo turpitudinis natura explicanda est: quæ quoniam non facile intelligi potest, nisi intelligatur quid sit pulchritudo, ideo de ea priore loco aliquid dicemus. Pulchritudo, si de corporea loquamur, nihil aliud est, quam quędam partium symmetria, atque conuenientia, per quam partes omnes inter se consentiunt, & ad unum quid conficiendum congrue conspirant, superaddita quadam colorum suauitate: ut pulchrum id dici possit, quod nihil in se deforme, nihil inconcinnum habet. Ex hac corporis forma per quandam analogiam ac similitudinem, aliquo pacto explicare licet, animi pulchritudinem, quæ, si oculis cerneretur, mirabiles sui amores in nobis excitaret. Animi itaque pulchritudo in eo sita esse uidetur, ut intelligendi uis ijs sit ornata habitibus, quibus ea omnia plene cognoscat, quæ cuique cognoscenda sunt: & appetendi facultas ijs exculta uirtutibus, quę ad honeste agendum sunt necessariæ; quibus ita sit affecta, ut nihil uelit, nihil efficiat, quod non sit cum recta ratione consentaneũ. Qui igitur, quod ad hasce animi uires attinet, totus sibi erit consentiens, atque consentaneus, ut nulla in re deficiat, aut excedat, sed penitus teres atque rotundus fuerit, is animo pulcher nominari poterit. Est & alia tertia quædam pulchritudo, quæ in illis spectatur rebus, quæ cum quadam concinnitate atque elegantia ad corpus adhærescunt; & uniuerse in omnibus, quæ aliquo pacto ad nos referuntur. At-

Ioa.Bap. Picen. orat. 17

Plat. Cic.

que ex his facile intelligere licebit, quid sit turpitudo, quæ, uniuerse loquendo, nihil aliud est, quam quædam partium, aut plurium rerum male cohęrentium copulatio. Ibi igitur agnoscenda est turpitudo, siue animi, siue corporis, ubi aliqua est deformitas et prauitas: quæ quid sit longe manifestius fiet ex ijs, quæ in secúndo fundamento docebimus, in quo uaria eius genera explicabimus.

Secundum fundamentum, facile dictu fuit, Ridícula sedem habere in turpitudine, at quænam sit ista turpitudo explicáre, non esse facile, id argumẽto sit, quod omnes fere qui de iocis scripsere, eam non explicarunt, quod nos hoc fundamento uarias turpitudinis species afferendo, facere nitemur. Turpitudo, quam Aristoteles peccatum appellat, ut ex dictis colligere licet, nihil aliud est, quam recessus quidam ab eo, quod naturæ conuenit, uel deformitas ex eorum discordia, quæ cognata esse deberent exorta. Quę primum tres in partes diuidi potest: in turpitudinem animi, corporis, & earum rerum quæ extrinsecus accedunt, atque contingunt. Quid sit animi turpitudo, quæ nostros sensus effugit, & solum dictis factisue aliquo pacto percipitur, uere ac sapienter docuit Plato, cum, eam plurimam & uariam ignorantiam esse, dixit: quæ adeo horrida censenda est, ut quidam eam Infernum appellare non dubitauerit. Et quod de ignoratione dictum est, idem de peruersa appetitione, qua ab honesto, & decoro, sicuti per ignorantiam a uero, receditur, dicendum est.

Plat. in Soph. In poet. In soph. Iamb.

Hinc

Hinc fit, cur in diuinis literis aĩa, quę ex ignoratione, uel praua appetitione labitur, turpis atque deformis nominetur. Cũ ergo in hoĩs animo duę sint partes, intelligẽdi nimirũ, & appetẽdi facultates, oĩs eius turpitudo aut in cognitione, aut in appetione consistet. Est aũt ignorãtia duplex, altera negationis, cũ omnino aliquid ignoratur; quæ uitio dari non solet, nisi cũ ignorantur ea, quæ scire sumus obligati, & discere potuimus: altera prauæ dispositionis, cum aliquid peruerse scimus, ut si quis falsa Grammaticæ præcepta didicisset. Rursus turpitudo tripliciter contingere potest; aut re, ut si quis a natura esset gibbus, uel labeo: aut fictione & imitatione; ut si quis claudum, uel gibbosum & labeonem imitaretur: aut fortuna & casu; ut si quis casu laberetur, in quo quædã partium corporis cernitur turpitudo, & a congruenti statu recessus. Quæ triplex turpitudinis ratio, non modo in corpore, ut ex allatis patet exemplis, sed etiam in animo spectari potest. Re, turpitudo in animo esse dicitur, cum quis uere ignorat, aut peruerse appetit: fictione, cũ se ignorare fingit: est enim scientis apte fingere ignorantiam, ex qua turpitudine sapientes potissimum risum mouent: casu, cum ob imprudentiam, dicto, uel facto animi errorẽ aliquis demostrat: Cum nemo sit ita cautus ac circũspectus, ut præter uoluntatem alicuius prauitatis significationem aliquando non præbeat. Atque idem dicas, de tertio turpitudinis genere, quod in rebus quæ extrinsecus accedunt positum esse docuimus. Vt autem

Tren. 4.

Arist. 1, post tex. 28.

quæ dixi planiora reddantur, nonnulla ridiculorum ab his turpitudinibus desumpta subijciam exempla. Et primum a turpitudine corporis uera, si quis rideret, quod hominem gibbosum spectare, qualis erat ille, qui seipsum describendo facete dixit,

Io.And. ab Anguil.

E porto un mappamondo su le spalle.

A ficta, si quis in risum prorumpat, quod quispiam apte aliquem claudicantem imitetur. Ab ea quæ est a casu; si risus excitetur, ex alicuius in terram lapsum. A turpitudine animi uera; si quis, postquam arca quam humeris ferebat, quempiam percussisset, ei diceret, caue. A ficta, si ille qui percussus fuit, ab eo qui post percussionem dixit, caue, peteret, An quicquam aliud præter arcam ferret: ex qua ficta ignoratione, illius ueram ignorantiam morderet. A casu, quidam meus discipulus qui corpore multum crasso utebatur, cum suis condiscipulis de corporis habitu loquendo, non ficte, sed per imprudentiam ab eis petiuit, An crasso esset corpore, ad cuius interrogatione multum fuit arrisum. De tertio genere hoc unum subijcio exemplum, Caius Lelius, cum ei quidam malo genere natus diceret, eum suis maioribus non respondere, salse respondit, Vt tu tuis. Huc referres illud cuiusdam, qui cum per iocum ei a quopiam dictum fuisset, O asini fili, statim ille eũ amplexando dixit, O mi pater. Atque hi sunt fontes, ex quibus omnia haurire licet ridicula. Sed quoniam, non sola, neq; omnis turpitudo risum ciet, qualis ista turpitudo, & quibus cum rebus coniuncta esse

Cic. lib. 2. orat.

se debeat, sequenti fundamento explicabitur. In poet.

Tertium fundamentum, ea turpitudo, quæ cum ratione risum sit excitatura, debet esse citra corruptionem & dolorem, præsertim maiorem, eius in quo cernitur turpitudo; id quod expresse docuit Aristoteles, qui cum ridiculum a turpi proficisci, affirmasset, quasi ipsum definiẽdo, dixit, Ridiculũ.n. aliquo pacto peccatum est, & turpitudo ἀνώδυνον, hoc est sine dolore; Neque enim ridenda est turpitudo illa quæ potius commiseratione, quam risu digna est: ut si quis ob lapsum frangeretur cruribus. Neque Ciceronem, ut aliqui arbitrantur hoc prętermisisse putandum est: quod, haud obscure significauit, cum dixit, Ea mouere risum quæ designant turpitudinem aliquam non turpiter: tunc autem risus moueretur turpiter, si quis ob rem turpem, quæ indignatione, aut misericordia esset digna, rideret: is enim turpiter, hoc est illiberaliter et rustice risum ederet. Idem etiam significasse uidetur, cum dixit, Risum locum habere in rebus turpiculis, & in turpitudine & deformitate quadam; non itaque in quacunque; Et adhuc expressius, cum scripsit, Itaque ea facillime luduntur, quæ neque odio, neque misericordia magna digna sunt. Præter turpitudinem necessariam esse admirationem, prudens negaret nemo, quod tanquã certissimum Ciceronem supposuisse arbitror; quamuis ex eius scriptis id facile colligi possit: præsertim ex illis verbis, quibus dixit, A viris seueris maiores excitari risum; ea nimirum de caussa, quod ra-



rius ridiculis utantur ac proinde ob rei nouitatem maiorem admirationem afferunt: noua autem, ut experientia docet, & Aristoteles scribit placẽt, ac delectant; quod etiam Plato affirmasse uidetur, cum dixit, Nam in præsentia, amice, mira quædam & ridenda facile dicere cogimur. Et multo quidem expressius cum scripsit, Sed ex his omnibus nihil magis ridetur, quam quod est præter expectationem: & premeditata minus rideri: & rursus cum dixit, vel quod admirantur omnes acumen uno sepe in uerbo positum. Potest autem admiratio duobus modis contingere, uno modo cum res est noua: altero, cum modus est nouus; ut patet in ridiculo Neroniano apud Tullium, cum de furace seruo dixit, solum esse, cui domi nihil sit, nec obsignatum, nec clausum: quod si dixisset, se habere seruum furacẽ, cum sit tritus loquendi modus, nullam habuisset nouitatem, nec ridiculi rationem. Vbi illud adnotauerim, ridicula explicari posse uerbis, tum proprijs, tum translatis, & hec maiorem secum afferunt delectationem, si apte transferantur, ut Aristoteles de urbana oratione agendo docuit. Erit itaque neceßaria etiam nouitas quedam in ridiculo, ex qua nascitur admiratio. Adderem etiam, ridiculum requirere leporem quendam & gratiam in gestu, & pronuntiatione eius, qui ridiculum edit; ut quod ipse non rideat, & ut certa quadam ratione, oculos, os manus, corpusq; moueat. Hoc etiam fortasse significare uoluit Tullius, cum dixit, Rideri ea, que turpitudinem desi-

Lib. 1. rhet.

In Theæt.

Lib. 3. c.10.

designant, non turpiter, hoc est, non insulse, non inuenuste: & hoc præsertim, cum ridiculum in imitatione consistit. Sed his alij verbis multo expressius, Itaque imbuendus est is, qui iocose uult dicere, quasi natura quadam apta ad hęc genera, & moribus; ut ad cuiusque modi genus ridiculi uultus etiam accommodetur: qui quidem quo seuerior est, & tristior, ut in te Crasse, hoc illa quæ dicuntur salsiora uideri solent. Atque ex his colligere licet, quæ in omni ridiculo animaduertenda sint: sunt autem ista, Aliqua turpitudo citra dolorem, nouitas aliqua, admiratio, & quidam agendi ac pronuntiandi lepos. De quibus omnibus in positionibus ea quæ dicta sunt breuiter colligendo, planius dicetur. Fabius.

Prima positio, si de risu uniuerse loquamur, ut dicit quandam animi oblectationem & motum ex letitia natum, non est necesse ut ex alicuius rei turpis specie oriatur. Hanc doctrinam prudens negaret nemo; cum multa sint iucunda, grata, & honesta, & noua, quæ sine ulla turpitudinis forma animum oblectant. Et hoc significasse uidetur Tullius cũ dixit, Hec enim ridentur, uel sola, uel maxime, quæ notant & designant turpitudinem aliquam non turpiter: si non sola, aliquid igitur aliud.

Secunda positio, ad risum maiorem, qui exterius prorumpat, ciendum, aliquą turpitudinis species necessaria eße uidetur. Hanc doctrinam confirmat communis eorum, qui de ridiculis scripserunt auctoritas: ita Aristoteles M. Tullius, Fabius, Ma

dius

dius, Robortellius, Pontanus, & alij: quam, ea corroborares ratione, quod quæ turpitudinem continẽt, ob rei nouitatem, & illam præter naturam constitutionem, maiorem admirationem faciunt, ac animum commouent, ex cuius commotione, etiam corporis organa cientur, risusque exterior exoritur, ut supra docuimus.

Tertia positio, turpitudo quę honestum & cum ratione coniunctum risum excitatura est, debet esse citra dolorem: non omnia itaque turpia & obscæna ijs qui uerecundiam amant, placent, & potius eos offendunt, quam delectent: idem de tristibus, & aduersis dicas: quæ minus apta ad ridendum sunt. Hęc positio patet ex ijs, quæ in fundamentis docuimus; &, ex ijs quæ de rediculorum usu dicemus: adhuc multo manifestior fiet.

Quarta positio, ut rei turpis species risum moueat, necessaria est aliqua nouitas, uel in re, uel in modo, quam admiratio sequitur, sine qua risus esse non potest. Doctrina est manifesta, quam hęc confirmat ratio; quia si ridiculum alias salsum atque facet sępius audiatur, molestiam potius, quam delectationem creat; quia nouitas, & admiratio cessant, licet turpitudo perseueret. Hæc non obscure significauit Horatius cum dixit,

Fit Chęrillus ille,
In poet. *Quem bis, terque bonum cum risu miror.*

Ex admiratione itaque ridebat, ob raram bonitatẽ, quam significauit, illis uerbis, Bis terque: rara au-

tem

tem noua sunt. Vbi illud adnotauerim, admirationẽ posse esse sine risu, ut est illa quę ex rerum abditarum cognitione nascitur, ob quam primi rerum inuestigatores philosophari cœpere; & hanc non sequitur risus: ut illam, quæ ex aliqua noua turpitudine proficiscitur & semper cum risu est. Arist. 1. Met. c. 1.

Ex quibus colligere licet, tria potissimum in omni ridiculo animaduertenda eße; Turpitudinem, nouitatem, & admirationem: id quod uno uel altero demonstrabo exemplo. Mad. lo. cit.

Primum snmo illud Crassi, quod est apud Ciceronẽ ex deprauata imitatione sumptum, cum in quendam dixit, Per tuam nobilitatem, per uestram familiam: in que, ut Tullius ait, quid aliud fuit, ut concio rideret, nisi illa uultus et uocis imitatio? Per tuas staret, nisi illa uultus et uocis imitatio? Per tuas uero cum dixit, & extento brachio, paulum etiam de gestu addidit, uehementius auditores riserunt. Hic caussa, ridendi, est ficta Crassi corporis turpitudo, quę prauam aduersarii actionem referebat. Admiratio fuit in nouitate, quia ut ficta noua erat: quam nouitatem sequitur admiratio, ut umbra corpus. Sed huiusmodi imitationes, quia paruam animi pulchritudinem ostendunt, rarius grauiores homines usurpabunt: habent enim minus acuminis, præsertim si maior sit imitatio, quę mimorum & ethologorum est, sicuti obscęnitas.

Deinde sumo illud Appij in C. Sextium, qui uno carebat oculo, Cænabo, inquit, apud te: uni enim locum esse uideo: quod dictum fuit scurrile, & sine caussa la-

lacessiuit: & id dixit, quod in omnes conueniret, & meditatum uideri potuit: At egregium fuit Sextij responsum; Manus laua, & cęna. Remordet hoc dictum: uel qa illi fortasse una manus deerat; uel quia uncinatis utebatur manibus, & fur erat; aut certe satis spurcus & immundus. Est hic turpitudo corporis, uel animi, nouo modo & ex tempore explicata: quia non dixit, uel altera manu cares, aut fur, seu immundus es; sed manus laua: quibus uerbis per tropum turpitudinem pinxit, & ob oculos posuit.

Denique, affero illud Porcij Nasicæ in Catonem Censorium, qui grandæuus puellam in uxorem duxerat; Ex animi tui sententia uxorem habes? inquit ille: at Cato, Non Hercule ex animi tui sententia. Hic est animi turpitudo ficta in Catone, qui se non intellexisse finxit. Est etiam noua responsio, quia fuit prę ter expectationem; ac proinde cum admiratione cõiuncta. Plura exempla qui uolet, Madium Legat.

Quincta positio, ad risum eliciendum, non parum confert lepida quædam & apta pronuntiatio, & actio: ita ut ex his solis, aut maxime interdum eliciatur risus, ut postea dicetur. Illud autem hac in parte maxime requiritur, ne qui ridiculum profert, ipse rideat: & ita quo seueriore uoce, & uultu dicet, eo maiorem risum excutiet. Nec me pręterit, inquit Madius, actionem etiam adhibendam esse talem, qualem ridiculi natura exposcit. Summo autem studio, ait Pontanus, id uidendum, qui dictis ipsius uultus, accedat, & (qua opus est) gestus quoque sit accom- Lib. 4. Ser.

datus

modatus, ac perquam concinnus. Alias enim dicte-ria gratiam non retinerent, & quę sua natura sunt lepida, ac bella, insuauia & frigida euaderent: atq; is qui dicit, ni ridiculus, saltem minus gratus fieret. Et hęc fortasse fuit causa, cur tantum in ha re excel-luerit Crassus, quod esset homo grauis, atque seue-rus, & ἀγέλαστος, idest, sine risu; cum semel tantum risiße feratur. Non negauerim tamen dicta ipsius dicentis risu, uultuq; aliquando exhilaranda esse. Macro.
Et licet, quę seuere dicuntur, risum non moueant: laudantur tamen, modo belle dicantur: contra uero, quæ cum risu efunduntur, sępe irridentur ac sper-nuntur; siue quis prior, siue posterior dixerit. Qua-re, uultus ille seuerus rei accommodatus, rideri uix potest: risus autem, & potest, & solet: quia cum suapte natura turpitudinem quandam contineat, ex positus est derisui.

Sexta positio, ea ridicula erunt magis ad risum ciendum accommodata, quæ turpitudinem habebũt ad risum magis idoneam, quæ plures habebunt tur-pitudines: & magis illa: quæ animi, quam quę cor-poris indicant deformitatem: & magis quę fictam turpitudinem, quam quæ ueram; eam ob caußam, quod ficta turpitudo sit ueluti pictura, & similitudo Arist. l. uerę, per quam aliquid cognoscimus, id quod est de- 3. Rhet. lectabile: & quæ sunt magis pręter expectationem, ca.10. & minus meditata, ut quæ maiorem nouitatem, & In poet. admirationem continent; aut etiam expectationi cō traria, quasi similia fabularum peripetijs, quę mi-

ram delectationem afferunt: quę denique seuerius, & maiore cum gratia pronuntiantur. Atque hęc fere sunt ea ex quibus intelligi potest quænam dicta sunt magis bella, pulchra, & salsa.

Septima positio, quod homines ob belle dicta magis aut minus rideant, potius ex ridiculi ui, quam ex hominũ natura accidit. Nanque, ipsum dictũ est caussa effectrix risus, ex cuius ui effectus ꝑpẽdendus est. quod si dicas, cur igitur nõ oẽs ęqualiter ob eundem io cum rident? ratio est in promptu; quia ex corporis constitutione magis aliqui facti sunt ad risum quam alij; ut sunt qui plus sanguine abundant, quorum pręcordia facilius dilatantur: uel ob aliquã extrinsecam caussam, ut patet in bene potis. Atq; ex his quæ hactenus disputata sunt, quid sit ridiculum, cognosci licet.

Octaua positio, Riduculum est peccatum, & turpitudo ac deformitas quędam sine dolore, & corruptione. Ita Aristoteles in poetica, in qua ea pars desideratur, ubi se de ridiculis egisse aliquando dixit. τὸ γὰρ γελοῖον ἐστὶν ἁμάρτημά τι, καὶ αἶσχος. id est, Ridiculum est peccatum quoddam & turpe. Poßet etiam aliquis per omnes caussas aliter risum describere, quas ex allatis fundamentis & positionibus obseruare facile quisque posset. Qui igitur aliter finire uoluerit, faciat: nos ad argumentorum solutionem accedemus.

In rhet. lib. 3. c.

Ad primum, iam docuimus in quarum rerum turpitudine sedem iocus habeat: non in omnibus, sed

sed in subturpibus, quæ non sint uel misericordia, uel pœna digna.

Ad secundum, rationem assignauimus, cur magis, quę uidentur & non sunt turpia risum moueant, cum quę scite simulantur maiorem nouitatem & admirationem pariant. Non itaque errarunt, qui in turpitudine ficta maiorem uim ad risum ciendum positam esse dixerunt.

Ad tertium, quid de Ciceronis doctrina in assignanda ridiculi natura sentiendum sit, plane exposuimus, quem aliqui male damnarunt: licet. re uera planius hanc rem exponere potuisset.

Ad quartum, qui de turpitudine, quę secum aliquem maiorem dolorem affert, rident, hi inepte rident, & ita tanquam inepti ridendi, & a communi hominum liberalium commercio reijciendi sunt.

De ridiculorum diuisione. Disp. 5.



VAMVIS *varię afferuntur, & sine methodo afferri solent iocorum diuisiones: nos tamen ad quędam certa capita eorum partes magis cognitione dignas quibusdam positionibus referemus.*

Prima positio, ridicula ex parte caussæ efficientis, siue materiæ unde sumuntur, hoc est, ex parte turpitudinis, alia ex animi turpitudine, alia ex corporis, vel ex utriusque prauitate promuntur: alia deni que ex deformitate extrinsecus adueniente; ut ex

genere, ex ortu, ex habitu, ex affinitate, ex amicorum consuetudine, & denique ex ijs rebus, quæ nos aliquo pacto attingunt. Hanc diuisionem his uerbis insinuauit Fabius, Risus igitur oriuntur, aut ex corpore eius in quem dicimus: aut ex animo, qui ex factis ab eo dictisque colligitur; aut ex his quæ sunt extra posita. Rusus, alia quæ ex re uera, alia quæ ex re ficta, alia quæ ex inconsiderata turpitudine et ex imprudentia proficiscuntur; ut patet in exemplis supra allatis.

Secunda positio, ex parte subiecti, siue istrumenti, quo ridiculũ editur, aliud consistit in dicto, aliud in facto, siue in re; vt si quis aliquo gestu sine uoce risum moueat, aliud in utroque. Exempla non subijcio, cum hæ diuisiones sint per se satis manifestæ.

Tertia positio, ridicula ex parte personarum a quibus eduntur, in tria possunt partiri genera; ut alia sint seruilia, alia rusticana, alia urbana. Seruilia uoco ea, quæ talem continent iocum, qui dignus sit homine seruili & sordido: quę sæpenumero frigida & leuia sunt: quorum exempla in comœdijs passim occurrunt. Horum quattuor genera fecit M. Tullius: unum quod sanniones edunt, morosum, suspiciosum, stultum: alterum imitatione maxime ridiculum: tertium oris deprauatione: quartum obscoenitate: quæ omnia genera sunt indigna foro; quamuis secundum genus furtim interdum & cursim usurpari possit. Rustica quæ, rusticitatem olent, quę personam rusticam decent, quæ uerbis & gestibus quibusdam

rusticis, & certarum rerum appellatione fiunt. Vrbana, in quibus liberalitas & suauitas illa, quæ est honestæ iucunditatis comes, elucet: quæ tantum sũt a seruili conditione aliena, quantum ab ingenuitate & libertate distat seruitus: & tantum a rusticitate remota, quantum a rusticanis moribus urbani mores absunt. quę nihil dicacitatis, nihil scurrilitatis, nihil insulsitatis, nihil denique fatuitatis habent; quale fuit illud Catonis in Albium, qui cum omnia comedisset, & tandem domum, quę ei reliqua erat, incendio perdidisset, dixit, Albinus Proteruiam fecit, hoc est, quod comesse non potuit, combussit. Erat autem Proteruia sacrificium apud ueteres, quo, si quid ex epulis superfuisset, igne consumebatur. Macr.

Quarta positio, ex parte personarum in quas ridicula iaciuntur, ridiculorum alia in alios, siue lacessendo, siue repercutiendo dicuntur, alia in se: sed, ut inquit Fabius, in se dicere, non est fere nisi scurrarum, & in Oratore minime probabile.

Quincta positio, ex parte artium, quę salibus utuntur, alij sunt poetici, siue comici, alij oratorij, alij politici. Eos uoco politicos, quibus in humana societate, in congressibus, & in circulis ad animum relaxandum personę etiam graues utuntur: ad quos facetiarum bellarumque narrationes reuocares; qui ab omni dicacitate & insulsitate, ne offendant, aut tędio afficiant, abesse debent; ut postea planius dicetur. Oratorios, eos quibus in dicendo utitur Orator: hi quales esse debeant, inferius docebo Poeticos,

eos appello, qui poeticum sermonem decent: quos pro poematum et comædiarum diuersitate uarios esse oportet: quare, alios satyricus, alios epigrammatarius, alios comoediarum scriptor asperget sales. Salsissimus fuit Plautus, ac etiam Martialis, de cuius salibus, si placet, lege quæ adnotauit Pontanus.

Sexta positio, ex qualitate uaria omnino ridiculorum genera afferri possent; nos quędam magis cognitu digna capita attingemus. Ridiculorum igitur alia sunt bona, alia mala: bona ea censentur, quę eas habent partes, quas probata ridicula requirunt: quę in mediocritate consistendo extrema uitant; quę personis, temporibus, locis, & occasionibus sunt accommodata; quæ ob nimiam insulsitatem, aut multũ salem gustui non displicent, nec stomacho sunt ingrata: quę denique animum reficiunt, & non afficiunt: his contraria, mala censenda erunt; quorum omnium uaria poßent notari genera. Rursus, ridiculorum, alia sunt plane bona & grata: alia manifeste mala & ingrata: alia dubia, de quibus suspicari possis, an sint risu, an de risu, odio ue digna. Item, alia sunt lepida, facetosa, & suauia, ut omnia quę non possunt non probari, quę sola ridiculi nomen & laudem merentur: alia insulsa, inepta, atque triuialia; quæ potius derisu, quam risu digna censeri debent. Insulsa, siue incondita sale carent, ac proinde risum non mouent; & si quem mouent, is in dicentem redundat. Inepta, quę fortasse placere, & probari potuissent, ni inconcinne, atquę intempestiue,

Quinct.

& non

& non suo loco pronunciata fuissent; ùt sùnt quę, tardius quam oportuisset, retorquentur. Etenim, quod alias bonum erat, mutatis circunstantijs, in malorum ordinem migrat. Huc pertinet Horatiarum illud,

Sed nunc non erat hic locus.

Triuialia, sunt dicteria quædam peruulgata, ac etiam sordida, & frigida: cuiusmodi sunt, quæ etiam in ore sordidorum hominum, & uetularum uersantur; & uel in rusticitatem, uel in scurrilitatem degenerant. Alia denique sunt mordacia, quæ uellicant, & arrodunt: cuiusmodi sunt eorum dicta, qui cum omnino risum excitare uelint, nullam modestiæ, nullam modi, & mensuræ rationem habent: & ut risum moueant, nihil curant si alios lacessant, & sugillent: quorum dicta, siue facta scurrilia uocantur; ut uitium ipsum quo peccant scurrilitas.

Sunt autem uarij scurrilitatis modi, siue scurrarum Species. Nam, alij ideo in iocando excedunt mo Pont.
dum ut uideantur faceti. Alij ut magis uellicent, & mordeant, uel ut ulsciscantur, uel maledicant, uel molestiam ingenerent, uel denique ut timeantur, qui Dicaces, ut eorum uitium dicacitas, uocari possunt. Alij, ut dum delectant, & placent, aliquem inde fructum referant: quos Arrisores, & uitium arrisionem uocares. Alij, ut aliquibus displiceant, alijs placeant, alijs gratificentur, alios derident, qui Derisores, et habitus quo sunt affecti, Derisio uocatur. Alij sunt, qui uerbis & factis obscænis utuntur, quæ si-

ne uerecundia & occulorum demißione audiri non poßunt: quorum dicta magnam impudentiam prę se ferunt: qualia sunt illa, quibus Campaniæ populi, etiam his temporibus, uindemiarum tempore, ut ipse aliquando audiui, utuntur: quod uitium ut aliqui scribũt, ab Oscis, promanaße putatur: quod si uerum, est oscenus, & oscenitas scribendum esset, & hi obscęni dicuntur, & uitium quo sunt infecti obscęnitas. Alij obscænitati addunt impuritatem, & spurcitiam, dum fœda, & spurca dicteria pronuntiant, aut factis exprimunt: quos spurcos, & eorum uitium spurcitiam uocamus. Denique, alij sunt natura & habitu ipso ad maledicendum facti, & confirmati: qui suis dicacitatibus non modo pungunt, sed etiam mordent, rodunt, urunt, quasi felle & ueneno aspergunt: Quorum alij sunt Petulantes, qui magis ad obscęnitatem atque intemperantiam declinant; alij Ampullosi, qui potius ad maleuolentiam, & detractionem deflectunt. Atque hæ fere sunt scurrarum species: quorum illi sunt deformißimi, qui in Principum aulis abdominis gratia scurrilitatem exercent, quos Parasitos, & Sycophantas uocant.

Septima positio, ex parte quantitatis iocus diuidi solet in longum & breuem: ille eas facetias continet quæ sunt æquabiliter in omni sermone fusæ; ut in tota lepida narratione; hic facetias peracutas, & breues, quas sales appellares: ut si interroganti, an latrares, respondendo diceres, Furem te uidere: uerum

Lib. 2. orat.

Cicero

*Cicero primum genus cauillationem, secundum dica-
citatem uocat; in quæ duo genera facetias diuidit:* In orat.
*alio tamen loco, sales statuit genus, & in facetias, &
dicacitatem diuisit. In primo genere res spectatur
fusa, in secundo breue acumen. In perpetuo facetiarũ
genere exprimendo, utendum est ea figura, quæ Eui-
dentia, & subiectio sub oculos nominatur, græce,
Hypotyposis, quę sic facta demonstrat, sic mores eius
de quo est narratio, sic sermones, & uultus omnes
exprimit, ut ijs qui audiunt, tunc geri illa, fierique ui
deantur. Atque hæc diuisio conuenit solum illis ridi-
culis, quæ in sermone consistunt. Facetiarum, siue fa
bellarum aliqui duo faciunt genera: unũ, quod sumi-* Pont. li.
tur a mutis animalibus, quales fere sunt Aesopicæ 3.
*fabellæ, & earum similes; aut a rebus sensu carenti-
bus; ut ab herbis, ab arboribus, & a lapillis: Alterũ
quod, siue fictũ, siue uerum sit, uel ut uetus refertur,
uel ut nouum fingitur in hominum uita. Huc aliqui
referunt aniles fabellas & cantilenas, quę ad cunas
& focos narrantur, ac etiam carmina amatoria,
quæ ad fides cantantur, et historiarum narrationem,
quæ tamen a facetudine abest. Verum illę potissimũ
facetiæ ad iocos pertinent, quę cum gratia & lepore
expositæ risum mouent: quod nugę leues, futiles, &
inanes non faciunt; cum nugaces, salsi esse non
possint.*

*Octaua positio, ex parte modi, ridiculorum alia
sunt sine imitatione & fictione: alia uero cum imita-
tione & fictione, quæ potest esse in uoce, & in gestu,*

habitu ue atque hæc magis placent, quam illa: quale fuit illud Craſſi, quod ſuperius recenſuimus: in quo ſolus geſtus & pronunciandi ratio anſam ridendi prębuit: quæ, ut diximus, minus grauitatis, & lepiditatis habent. Rurſus, alia ſunt, quæ ſua ſponte ex tempore profluunt: alia quæ tanquam prouocata, atque excitata extrinſecus in reſponſione conſiſtunt; quæ gratiam amittunt, ni ſtatim edantur. Huc pertinet aculeatum illud reſponſum cuiuſdam prouincialis, Macr. li. 2. ſat. c. 4 *qui quoniam erat Auguſto Cæſari ſimillimus, ab eo interrogatus fuit, An eius mater aliquando Romæ fuiſſet, Negauit ille: nec ſola negatione contentus, adiecit, ſed pater meus ſæpe. Huc etiam referres illud pueri cuiuſdam, qui in iocando mirifice excellebat,* Apud Pont. *Is cum ab illuſtri uiro accitus fuißet, ut ipſum iocantem audiret, poſt nonnulla ſalſe acuteque dicta, cum eum a quo accerſitus fuerat, ad aures cuiuſdam aulici hunc in modum loquenten audiuiſſet, Qui in ætate puerili ingenio ita perspicaci, atque acuto utũtur, cum adoleuerint, hebetes euadunt, ſtatim ad eum conuerſus inquit, Tu igitur cum puer eras, ingenio uiuido atque celeri uti debebas: non adiecit, es enim craſſo ingenio. Quæ reſpondent, aut diluunt tantum, aut acriter mordent, aut certe tanquam miſta utrũque præſtant.*

Nona poſitio, ex parte eſſectus, ſiue finis, alia delectationem & riſum cient animunque exhilarant, ut ſunt ioca facetoſa, lepida, & belle condita: alia, moleſtiam & ſtemachum mordent; ut iuſulſa,

frigida

frigida, & decantata: alia quæ odium & rixas, ut aculeata & fellis plena, & omnino amara.

Decima positio, denique diuidi possunt penes locos unde desumuntur, quorum tamen incerta est ratio & numerus, ut ex ijs quæ in sequenti disputatione scribam perspicuum fiet. Hæc igitur de ridiculorũ diuisione dicta sufficiant.

De ridiculorum locis. Disp. 6.

VT *qui dicendo aliquid confirmare, aut auditorum animos commouere uolũt, ad id efficiendum quosdam communes locos obseruarunt, ex quibus argumẽta ad probandum, & amplificationes ad commouendum sumerent; ita qui delectare student, sedes quasdam notarunt, in quibus, quæ ad delectandum ualẽt, resident: quas hac disputatione indicare conabimur. Et quemadmodum argumenta ex uarijs locis sumpta, non eandem uim ad probandum habent; ita nec ridicula ex diuersis capitibus deprompta eandem ad risum ciendum facultatem continent: non secus ac diuersæ terræ partes uarios fructus, magis & minus salsos, agrestes, suauesq; efferunt.*

Quod igitur ad rem propositam attinet, primum dicerem, ridicula sumi posse ex omnibus fere locis, unde argumenta petuntur; modo illa contineant, quæ ad ridiculum neceßaria esse supra docuimus; Fab. *ut ab etymologia, a definitione, a contrarijs, a simili*

bus,

bus, a translatione, a sententijs, siue ab auctoritate, a coniugatis, & denique a circunstantijs, & a personarum attributionibus.

Deinde, uniuerse dixerim, iocos sumi ab omnibus fere schematis siue figuris, tum uerborum, tum sententiarum; ut sunt tropi, metaphoræ, allegoriæ, ironiæ, paranomasiæ, parabolæ, amphiboliæ, exclamationes, descriptiones, allusiones, & id genus aliæ.

In summa, omnia ridicula, aut ex uerbis, aut ex rebus petuntur: illa, verbis mutatis, mutantur, hæc non ita: illa rursus, aut in uno uerbo, aut in pluribus, siue in integra sententia consistunt. Sed, ut aliquid priuate dicamus, locos quosdam ex uarijs auctoribus collectos, breuiter subijciemus: & primum eos qui in verbo spectantur: sunt autem fere isti, quos nunc recensebo.

Primus, verbi translatio: quia translatum verbum efficit ut aliquid de nouo facile dicamus. Quare uerba communia, vulgata, peregrina, & propria, vel quia sunt obscura, vel quia sunt nota, non faciũt orationem urbanam. Huc pertinet dictum illud Catonis in Albidium, de quo supra meminimus, qui sua bona comederat, & domum quæ remanserat, incendio perdidit, de quo Proteruiam fecisse dicebat.

Secundus, paragramma & paranomasia, hoc est alliteratio; ut si quempiam non Oratorem, sed aratorem appellares: & facie esse ridiculum, non facetijs affirmares: & si de aliquo diceres, Non est me nobilior, sed mobilior: &, ut Diuus Bernardus de

parum

*parum bonis animarum curatoribus dicebat, Acci-
piunt curas, ut uiuant sine curis.*

*Tertius, qui fit Ambiguitate, & amphibolia;
sunt enim ambigua acuta, & dicentis acumen osten
dunt. Quæ uel sunt simplicia, & hæc potius, ad-
mirationem faciunt, vel cum alio genere admista,
& tunc maiores risus mouent; ut cum aliquid τὸ ἀ-
προσδόκον, id est inexpectatum, cum ambiguitate cō
tinent; ut illud Augusti in Galbam hominem gib-
bosum, apud eum caussam agentem, ac sæpe dicen-
tem, corrige in me, si quid reprehendis, Ego inquit,
te monere poßum, corrigere non possum. Simplicis
exemplum est tale, Philippus Catulo obstrepenti,
quid, inquit, latras? at Catulus, ludens ambiguo uer
bo, Furem, inquit, video. Inexpectati tale, quidam
ex lege duodecim tabularum creditori addictus in
seruitutem ducebatur, interrogatus a quodam non
inurbano, quanti addictus eßet, existimans eum vel
le pro se pecuniam numerare, aut satisdare, respon
dit, Pretio mille sestertium numum: at hic ludendo
ait, Nihil addo, ducas licet. Tale fuit illud Anni-
balis in Antiochum profugum, qui exercitum con-
tra Romanos parauerat, ab ipso petentem, Putas ne
satis esse hæc omnia Romanis? Satis, inquit Anni-
bal, esse credo Romanis, etsi sint auarissimi. Am-
biguis sæpe ludit Plautus.*

*Quartus, etymologia, hoc est uocabuli explica-
tio; ut si quis dicat, Vrbanum, non esse vrbanum:
huc pertinet illud Ciceronis, Verrem subito ex ho-
mine*

mine factum fuisse verrem.

Quinctus, parodia, cum versus interponuntur, vel toti, ut sunt, vel eorum partes, vel etiam paulum immutati: docent enim cum auctoritate, & simul etiam uoluptatem pariunt; ut si in hominem rudē et ingenio obtusum, illud Virgilij detorqueas, Cuium pecus: aut in ineptos alicuius scriptoris imitatores illud Horatij,

O imitatores seruum pecus.

Et si quis audita alicuius auari hominis morte, hūc Publiani mimum usurparet,

Auarus nisi cum moritur, nihil recte facit.

Sextus, prouerbia, & apophtegmata, breuiter acuteq; dicta; grauiter enim & breuiter docent, & aliud verbis dicunt, aliud subintelligi uolunt; ut si in hominem qui extrema sectatur, dicas, dimidium plus toto; uel uolenti uxorem pulchram sed non bonam ducere, oculis non esse nubendum.

Septimus, responsio ad unum uerbum, non ad totam sententiam, quia natura nos noster delectat error, & cum quasi decepti simus expectatione, ridemus: exemplum est tale, cum quidam Crassum interrogasset, Num tibi molestus sum futurus, si ad te bene ante lucem venero? Molestus, inquit, non eris. Tum ille, Iubebis igitur te uel a me, uel a tuis suscitari. Hic Craßus, ac si non uniuersam rem animo concepisset, sed tantum hæc uerba audiuißet, Num tibi molestus sum futurus, Tu certe, inquit, ne garas te molestum futurum, bene ante, multo ante.

Duxerat Cato Censorius grandæuus puellam in vxorem, infra ætatem & dignitatem; unde multis ridendi materiam dedit: qui a Nasica, cui tale coniugiũ minime placebat, interrogatus, An ex animi sui sententia uxorem duxisset, ei non directo, sic respondit, Non hercule ex animi tui sententia. Huiusmodi dicta frigida sunt, ni expectationem fallant.

Octauus, Allegoria, quę est perpetua metaphora: exemplum est tale, Si quis ei qui melius obijciat crimen, quam defendat, diceret, eum habere bonam dextram, sed malam sinistram, Item, si ei qui de te peteret, an tibi displiceret, si te accusaret, diceres, vt sementem feceris, ita metes. Scipio interrogatus a Corinthijs, qui eius statuam cum alijs in foro ponere uolebant, an ei placeret. Turmales statuas sibi displicere dixit.

Nonus, inuersio, siue aduersaria uocabulorum interpretatio; ut si deformis homo, pulchellus, & statura magnus, humulus uocaretur: uel hoc modo, Cũ quidam mihi per iocum dicunt, Carbo, uel tingit, uel urit; ego ita inuerto, Carus & bonus est, nocet nemini.

Decimus, uerba contrarie relata; nt ecce, Libo quidam Galbę dixit, Quando de triclinio tuo exibis? gastrimargiam ei obiecit; At Galba, Cum tu de cubiculo alieno: sunt hic relata contrarie, Tuum triclinium, & cubiculum alienum.

Vndecimus, Aenigma; quod cum ingenij & doctrinæ tacitam significationem habeat, & aliud dicat

cat, aliud significet, festiuitatem ac iucunditatem continet; ut in hoc apud Virgilium patet exemplo. Nam cum Dametas per Aenigma a Menalca petiuißet,

Dic mihi quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Treis pateat cœli spatium non amplius ulnas,

Menalcas perbelle respondendo alio, non sine ioco, usus est Aenigmate, quo propositum soluit (cuius solutionem, quam multi non intelligunt, nos alibi exposuimus, dicendo,

Virgi. Eclog. 3. *Dic mihi quibus in terris inscripti nomina regum*
Nascantur flores: & Phillida solus habeto.

Sequuntur modo sententiarum loci, ex quibus ioci sumi solent.

Primus, illa sententia iucunda & urbana esse cẽsetur, quę non est nimis uulgaris, nec nimis obscura, & aliquam nouitatem habet; ut hæc apud Publianum.

Anus cum ludit morti delitias facit.

Atque etiã hęc lepidissima Andreę ab Anguillara:

Se fe Gioue un castron, e Bacchо un becco,
E gir con l'altre bestie alla pastura.

quam, cum ego cogito, a risu abstinere non queo. Noua itaque placent, uulgata & obscura minime, cum per hęc nihil ediscamus.

Secundus, Narrationes lepidę & facetę, quę rem uerisimilem continent, & uarios atque inexpectatos exitus habent; modo ita narrentur, ut quodam

modo

modo ob oculos ponantur; cuiusmodi sunt Aesopi fabulæ & Apologi.

Tertius, parabola & collatio, similitudoque & imago. Quidam Magius innumerabilem pecuniam per corruptelam accepisse dicebatur, quod uerisimile nō esse Scaurus aiebat, cum pauper esset, quam defensionem per parabolam Gallus hunc in modum sustulit, Erras, inquit, Scaure in hac tua refutatione, Ego enim Magium non conseruasse pecuniam dico, sed tanquam nudus nuces legeret, in uentrem abstulisse. Vt enim qui nudus nuces colligit non potest eas in sinum, uel in manicas auferre, sed in uentrem mittit, ita Magius compotando omnem acceptam pecuniam absumpsit. Hoc itaque ridiculum a collatione, qua unum cum alio simpliciter confertur, sumptū est. Sequens uero ab imagine, quę non solum confert, sed etiam quandam rei formam oculis subijcit, Cęsar Testio, qui loquendo mentum intorquebat, non secus ac qui nuces frangunt, Dic, inquit, si quid uelis, postquam nucem fregeris.

Quartus, hyperbole, & superlatio, quę rem nimis auget, uel incredibiliter minuit. De Memmio homine corpore prælongo & multum sibi arroganti, dixit Crassus, ad fornicem hoc est ad arcū triumphalem Fabij caput dimittere. Scipio de quattuor C. Metelli filijs, quorum unus fuit alio longe obtusior, dixit, quid si mater quinctum pareret, asinum fuisse parituram. Hoc loco sæpe ludit Plautus, non raro Martialis.

Quin-

Quinctus, arguta significatio, & emphasis, qua pauciora dicit, plura significat, & res obscuras illustrat: Cornelius Rufinus homo maxime auarus, bonus tamen Imperator, opera Fabritij inimici creatus est consul, Pyrrho contra Romanos in Italia pugnante: cui gratias agenti, dixit Fabritius, Nihil est, quod mihi gratias agas, si malui compilari, quam uenire, per emphasim dixit, Compilari, ab homine scilicet rapacissimo expoliari, diripi potius, quam captus ab hoste sub hasta uendi.

Sextus, dissimulatio, & ironia in tota sententia, qua seueritatem præ se ferendo, aliquis ludit, ut Cicero in Ligariano exordio fecit. Quo genere loquẽdi qui utuntur, Irones dicuntur, qualis Socrates fuit. Septumelio Anagnino, qui præmium ex lege acceperat, quod Gracchi seditiosi hominis caput obtrũcasset, Scęuola, cum de se peteret, ut eum in Asiam præfectum duceret, dixit, Quid tibi vis insane? tanta malorum est multitudo ciuium, ut tibi hoc confirmem, si Romæ manseris, te paucis annis ad maximas pecunias eße venturum.

Septimus, dissimulata appellatio, cum verbo honesto res turpis, aut vitiosa nominatur; ut si fatuum, bonum ac simplicem appelles, aut bene potum, hilarem eße dicas. Scipio Aphricanus, militi, qui ideo se pręlio non adfuisse aiebat, quod ad sarcinas custodiendas remansißet, diligentiam in ignauiam uertens, dixit, Non amo nimium diligentes.

Octauus, inuersio alienæ sententiæ, cum ex alicuius

cuius oratione aliud excipitur, quam ille uelit. Medicus quidam hominem ætate grauem interrogauit, quo pacto tam factus senex esset, respondit iste, quia eius opera, siue arte non fuißet usus: responsio contra uoluntatem fuit. Huc pertinet, quod Q. Fabius Liuio Salinatori dicenti, Mea opera Q. Fabi Tarentum recepisti, respondit, Nisi amisisses, nunquam recepissem: Amiserat enim Salinator oppidum, & in arcem se receperat, quam conseruauit.

Nonus, subabsurda sententia, aliena ab auribus, a loco, & ab occasione, ἄτοπα, quasi stulte dicta: huc pertinet, quod mimicus poeta dixit de quodam, qui ex paupere factus diues, mortuus est, Homo fatuus, postquam rem habere cępit, mortuus est.

Decimus, stultitia, non vera, sed apparens; cum stultum quid cum sale funditur. Huc facit illud Glauciæ in Antonium, in alienis causis agendis solum uersatũ, cum de ambitu fuißet postulatus, Aliquando tibi tuum negocium agere licebit: quod uidetur stulte dictum, quia etiam antea suum negotium agere ei licebat; nunc vero non solum licebat, sed etiam necesse erat. Simile videtur dictum Pontidij, qui interrogatus, Qualis sibi videretur quidam, qui in adulterio comprehensus fuerat, respondit, Tardus.

Vndecimus, reiectio, cum quod dicitur in dicentem retorquetur. Q. Opimius Aegilio homini festiuo, & muliebri mollitia effœminato dixit,

Quid tu Aegilia mea?

Quando ad me venies, cum tua colu & lana?
Cui Aegilius hunc in modum, per reiectionem, respondit,

Non Pol audeo:
Nam me ad famosas mater uetat accedere.

Quem, tanquam fœminam impudicam tractauit. Hic modus delectat ob ingenij acumen & celeritatem. Huc facit responsio Demosthenis in Demadē, qui admonitionem ægre ferens dixit, Sus Mineruam docet, at ille, Ista Minerua non ita dudum in adulterio est deprehensa.

Duodecimus, cum dictum ridiculi suspicionem absconditam habet: ut illud cuiusdam Siculi uxorem non multum amantis, qui amico mesto animo referenti acerbum vxoris casum, quod de ficu se suspendisset, dixit, Amabo te, da mihi ex ista arbore, quos seram surculos: quo dicto, se vxoris interitum desiderasse latenter significauit. Huius ordinis est quod Catulus in oratorem sui amantem, qui an in orationis epilogo misericordiam mouisset de eo interrogauit, pronuntiauit, At magnam quidem: Neminem enim puto tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit.

Decimustertius, morosum dicendi genus ab alio pronuntiatum, ut est illud apud Neuium poetam.

Quid ploras pater? Mirum ni cantem, condemnatus sum.

Quæ responsio cum stomacho uidetur data: cum tali interrogatione fuisset offensus.

Decimusquartus, patienter data responsio, εὐήθεια, modus superiori contrarius, cum quis modestiam & lentitudinem quandam præ se fert. Tale fuit illud Socratis, qui cum eius vxor post multa maledicta, & conuicia eum etiam aquam suffudisset, facete dixit, Notum mihi erat, post tot tonitrua, tandem pluuiam sequuturam. Et illud Catonis, qui cum percussus fuisset ab eo qui arcam ferebat, cum hic dixisset, Caue, non excanduit, sed patienti, & lento animo petiuit, Nunquid aliud ferret: quasi dicat, quid caueam, cum nihil aliud feras.

Decimosquinctus, iucunda & salsa reprehensio, cũ alterius stultitia tecte ridetur. Præter Scipio, cuidam Siculo patronum quidem nobilem, sed stultum dabat, cui Siculus, quæso, inquit, aduersario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis.

Decimussextus, facetę, acutæ, & vrbanæ interpretationes eorum, quæ in probabili sunt coniectura positę, non certa. Huius modi exemplum tale est apud Ciceronem, Mouent etiam, inquit, quæ coniectura explanantur longe aliter atque sunt, sed acute atque concinne; ut cum Scaurus, & quæ sequuntur, quod ideo non adscribo totũ, quia est admodum longum. Lib. 3. orat. *Decimusseptimus, cũ sententia continet pugnantia, et discrepantia. Quo modo quidã hominẽ pauperẽ & nequam hac sententia lusit, siue lacessiuit, Quid huic abest, nisi res & uirtus? discrepant, nihil abesse, & rem ac uirtutẽ deeße: Huc referres hunc Publiani mimum, quo peracute lepideque mu*

lierum naturam expreſſit;

Aperte mala cum eſt mulier, tum demum eſt bona.

Decimusoctauus, reprehenſio non ſeuera, aut accuſatoria, ſed bella, non turpiter errantis: ſimiliter admonitio familiaris in dando conſilio. Quidam Ineptus patronus rabularum more clamitando, uocem amiſerat, cui Granius dixit, Mulſum frigidum bibe, quæ tamen potio uocem adimit, at ille, Perdā, inquit, uocem, ſi id fecero; Hic Granius, Melius eſt uocem, quam reum perdere.

Decimusnonus, dictum conſentaneum cuiuſque moribus, quod leuiter arguit. Ad hunc locum pertinere uidetur hic luculentus Publiani mimus, quo luxurioſi & auari hominis habitum exprimit:

Luxuriæ deſunt multa, auaritiæ omnia.

Vigeſimus, conceſſio, & confeſſio eius quod aduerſarius nobis detrahit. Cuiuſmodi fuit iocus Lęlij, ſupra relatus: is cum a quodam improbo homine fuiſſet uituperatus, quod ſuis maioribus non reſponderet, At tu tuis dignus: conceſſit aduerſario, quod obiecerat, ut ex malo coruo malum ouum naſci diceret.

Vigeſimusprimus, Adinaton, hoc eſt impoſſibile, cum quæ fieri non poſſunt optantur; ut illud M. Lepidi, qui cum alijs in campo corpus exercentibus, in herba recubuiſſet, Vellem, inquit, hoc eſſe laborare: fieri non poteſt, ut quies ſit labor: quod ſi eſſe poßet, ſine moleſtia corpus exerceretur.

Huc referres illud Virg. Virg. Ecl.3.

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui:
Atq; idem iungat uulpes, & mulgeat hircos.

Denique, ne plures modos percenseam, cum eorum certa ratio & numerus assignari nequeat, duci potest iocus a comparatione; qualis fuit iocus Augusti Cæsaris in Herodem, cum Iudæorum filios intra bimatum iussit interfici, ac etiam suum, Melius est Herodis porcum esse, quam filium. Eodem modo in Turcorum regem dicere liceret, Melius esse canem, quam, primo excepto, illius filium: Cum, ut fertur, Turci canes non occidant, immo in eos misericordia utantur: at uero Imperatoris demortui filios trucidant, saluo primo, qui in imperio succedit.

De iocandi necessitate & uirtute. Disput.7.



VEMADMODVM *ridiculorum uim atque naturam patefacere omnino difficilem fuit; ita & eorum usum exponere non facile existimari debet: id quod post hac nobis faciendum proponimus. Et ut maiore cum facilitate id præstare possimus, prius ridiculorum necessitatem, atque uirtutem eam qua honeste & laudabiliter ludimus, explicare nitemur. Quod autem nulla sit in ridendo uirtus, nullaque ridendi neceßitas, his rationibus demonstrares.* Eccles. 2

Primum auctoritate Sapientis, qui risum pro Ad eph.

errore se habuisse dicebat. Accedat etiam apertissima Diui Pauli sententia, qui Eutrapeliã in uitijs numerauit. Et Fabius scriptum reliquit, Non bonæ indolis dare speciem, qui in hoc studium ponunt, ut rideantur.

Deinde, non ridere in maximis uirtutibus reponitur: & de Christo Recuperatore dicitur, nunquam risisse: qui tamen omni uirtutum genere erat excultus: risus igitur in uitijs ponendus, si non ridere est virtus.

Matt. 5. *Denique in diuinis literis beati uocantur qui lugent: infelices igitur qui rident: si contrarijs contraria licet dare attributa, ut Dialectici docent. Atque has paucas dubitandi rationes attulisse sufficiat.*

In hac difficultate cum multa ex philosophia morum repetere nolim, breuiter multis omissis, quæ duo proposui explicanda, quibusdam positionibus docebo.

Prima positio, ridendi usus in humana uita est necessarius. Hanc doctrinam, quæ per se est satis certa, hac ratione primum demonstro. Cum homo,
Iob. *ut sacræ literæ docent, natus sit ad laborem, ut auis ad uolandum, eiusque uita tota in motu & agitatione corporis & animi posita sit, (neque enim eos homines appellarem, qui otio marcescunt: qui cum nihil agant, mortui sunt) & ob naturæ conditionẽ, & corpore & animo defatigetur; propterea, si conseruari debet, aliqua requies, & relaxatio ei necessaria*

sariaest. Quare, ut natura ad corpus, refocillan- Cic.
dum, & ad uires debilitatas instaurandas somnum
instituit; ita etiam eadem natura, atque recta ratio
dictat, ut ad animum reficiendum aliqua quæratur
aberratio: quæ potissimum ex ijs rebus sumitur, quæ
oblectandi animi uim habent; ut sunt symphonia,
cantus, & honesti uerborum ioci, qui maxime na-
turam rationis participem attingunt, eique consen-
tanei sunt: qui in suaui & grata quadam ratiocina-
tione consistunt. Siquidem in iocando, animi uires
recreantur, & rationis uis suauiter delectabiliter-
que exercetur. Quo fit, ut qui honestis salibus utun
tur, inde medicamentum petant; unde facta sunt
uulnera. Non secus ac ij qui a scorpione icti, ab eius Geral.
dem oleo remedium sumunt. Necessarij itaque sunt Odon. in
in humana uita ioci, quibus animus instauratus, 4. eth. q.
rursus ad sua munera diligentius & uehementius 43.
exercenda redit. Huc pertinet hoc cuiusdam Græci
dictū, Βίος ἀνεόρτατος, ὁδὸς ἀναπαντέχτος, id est vita Apud
sine festiuitatibus, via sine diuersorio. Et Seneca li- Stob.
bro de animi tranquillitate, Sicut fertiles agros ci-
to exhauriret nunquam intermissa fęcunditas; ita
animorum impetus assiduus labor frangit, nisi vires
recipiant paulum, resoluti & remissi. Ideoque le-
gum latores festos instituerunt dies, ut ad hilarita-
tem homines publice congregentur. Propterea ho-
nesti homines in rebus agendis, & in bonis studijs
occupati, ad circulos, congressusque interdum con-
ueniunt; ut una cum alijs confabulando, honeste lu-

 dant,

dant, animumque recreent. Acccedant deinde ad rationem grauissimorum hominum exempla, qui iocis delectati sunt: quibus non modo usus facetiarũ, et necessitas, sed etiam honestas demonstratur. Facetus fuit Cæsar, ob quam caußam in sermone de iocis ei primas partes tribuit M. Tullius: facetus Annibal, facetus Iugurta, Mythridates, Augustus, Alphonsus Neapolitanorum Rex; facetus Socrates, quo alias nemo seuerior: facetus Demosthenes, qui licet in suis orationibus parce iocos adhibuerit: tamen extra forum & senatum iocari solebat: cuius hæc circumferuntur ridicula. Reprehensus aliquando quod turpissime e prælio aufugisset, salsissime respondit o pheugon palin machesetae, id est fugiens rursus pugnabit. Idem, cum audiuisset Philippum Macedonum regem laudari, quod esset Bibax, uenustus corpore, & disertus, has laudes in uitium uertendo, dixit, Primum esse spongiæ, secundum fęminæ, tertium Sophistarum. Salse etiam Pyntheam, qui eius enthymemata lucernam sapere dixerat, redarguit, dicens, οὐ ταυτὰ σοὶ, καὶ μοὶ σένοιδεν ὁ λύχνος, *idest non eodem modo mihi & tibi sapit lucerna. Et ad petitionem magni pretij quod ab eo Laides petiuerat, Non tanti emerem unum pęnitere, salsissime respondit. Denique M. Tullius adeo ridiculis delectatus est, ut ex eius iocis integri facti sint libri: qui tamen in iocando non habuit modum, ut postea dicetur: nec mirum, quoniam modus, cum in omni re, tum in iocando non facile*

Plut.

Macr. Fab.

cile

cile inuenitur: ac proinde opus est quadam uirtute, quæ modum in iocando docet, de qua statim dicam, si prius quædam Aristotelis uerba huc pertinentia adscripsero, Cum autem, inquit, in vita requies etiã quædam sit in qua homines ioco utuntur: uidetur etiam hic esse congressio quædam moderata, & dicendi ea quæ oportet, & ut oportet, & audiendi. Differentia quoque in eo erit, ut & inter tales quos dicamus, & tales, audiamus: Circa quę excessum esse medij, & defectum perspicuum est. In quem locum hæc eleganter scripta reliquit Eustratius. Cum enim probus uir in assidua seriarum rerum tractatione occupatam mentem habeat, requie aliqua atque recreatione interdum indiget ne diuturna defatigatione oppressum ingenij sui acumen obtundatur; more arcuum, qui semper intenti relinquantur, durum illud suum robur amittunt, laxique inutiles euadunt. Ideo ociosa quædam mediocritas extitit, quæ amicos ingenua urbanitate aliquantulum relaxaret: atque ita alacriores ad res serias obeundas remitteret: quæ facetudo, seu ut uerbum uerbo exprimamus, apta uersatio, id est eutrapelia appellatur: eo quod faceti dicendo iocis & salibus faciunt eam rem, & repræsentant, quam imitantur. Atque id nõ rustice, sed urbane & apte; ut oratio ipsorum quasi motio quædam animi numerosa, & gestus quidam concinnus, atque eutropos id est aduersionem aptus, esse videatur. Sicut enim ex motione, & gestu aptitudo corporis dignosci consueuit,

Lib. 4. eth. c. 8.

Eustr.

sueuit, agile ne sit, an lentum, sanum an ægrum, ualidum an infirmum: ita ex factis iocis, quasi ex aptis motionibus quibusdam, ac gestibus animi elegantia & concinnitas agnoscitur. Vnde hæc mediocritas quia apte & accommodate ad unamquamq; rem uertitur, non solum eutrapelia, idest apta uersatio & agilitas a Græcis nominata est, sed quandoque etiam epidexotes, hoc est dexteritas, & urbanitas dicitur. Debet enim qui apte iocari uult, dextere & urbane id facere, id est, id studere, ut non solum alium non offendat, & eum in quem cauillis & salibus utitur, non pungat, uerumetiam ut oblectet, uoluptateque afficiat. Atque hactenus Eustratius, cuius uerba optime declarant, quod secunda positione dicturi sumus.

Alber. in 4. ethic. tracta. 3. cap. 4. Buridan. q. 19. in ethic.

Secunda positio, ad rectum iocorum usum, siue ad honeste ingenueque iocandum necessaria est aliqua uirtus, per quam modus in hac re seruetur. Sicut enim ad cæteras actiones humanas, quæ a recta electione pendent recte exercendas, præter naturalem uim opus est aliquo bono habitu, quo prompte aliquid efficimus, ut ad dandum cuique suum, iustitia; ita ad liberaliter iocandum opus est aliqua uirtute, cuius beneficio in iocis, nec deficiamus, nec excedamus, sed modum quendam seruemus; quam uirtutem Græci Eutrapeliam, Latini vrbanitatem appellarunt. Verum, cum vrbanitas potius quandam iocorum speciem, uiuendique rationem designet, aliqui hanc uirtutem, communi uocabulo. Facetudinem,

dinem, facetiem, facecitatemque appellare malue- Pontan.
runt: sicuti Latini, eos qui hac sunt virtute ornati, facetos, & iocos ipsos facetias a iocis faciendis nominarunt: ad eum modum, quo qui copiose loquuntur, Facundos, & ipsam virtutem Facundiam nuncuparunt. Est itaque facetudo uirtus quædam per quam in sermonibus, congressibusq; iocando mediocritatem inuenimus, ac retinemus; nec in extrema dilabimur, unde uituperatio exoritur, ac proinde laudem meremur. Qui itaque omnes iocandi partes, quę sicuti & aliarum uirtutum plures sunt, cum mediocritate fuerit consequutus, eum facetum appellabimus; sicuti auarum, qui omnem auaritiam fuerit complexus; quamuis iocosos, sicuti & auaros etiam eos vocemus, qui aliquam facetudinis & auaritiæ partem acquisiuerint. Ratio igitur aliqua necessaria fuit, qua in dictis & factis, quibus delectationem quærimus, mediocritas inueniri, & cōseruari posset, quæ Vrbanitas, siue Facetudo appellatur, & in uirtutibus ab omnibus Philosophis moralibus, & a Sacris Theologis iure optimo ponitur, ut D. Tho, 2.2.
ex dictis colligere licet, & multis auctoritatibus confirmare possem, si hac in parte nimius esse uellē; de cuius extremis sequentibus positionibus disputabo.

Tertia positio, Faceto, non opponitur mutus: cū mutus fari nequeat: neque facetiei infantia, nec etiā loquacitas; quia latius patet, quæ non in iocando, sed uniuerse in loquendo labitur. Neque etiam rusticitas, quę potius Vrbanitati, quæ est facetudinis

pars

pars opponitur. Nec pariter illepiditas, quę potius cum lepore, qui est dictorum & facetiarum comes pugnat. Et multo minus insuauitas, quæ non modo in risu, sed etiam in tactu spectatur. Quare, cum proprie loquendo, urbani, comes, lepidi, blandi, & festiui, non sint omnino iidem, qui faceti, faceto opponatur, infacetus, & facetudini infacetudo, si nomina, docendi gratia, fingere licet. Qui a facetudine deficiunt, Rustici, & ipse defectus Rusticitas uocari solet: quę, ut diximus, quandam uitij partem designat: ideo aliqui potius Agrestitatem, & Agrestitudinem appellare maluerunt, ut rem ipsam & gręci uerbi agrias, uim magis exprimerent: & eum qui tali uitio est affectus Agrestem. Et quod Agrestitudo latius pateat, quam rusticitas, & his Horatij uerbis colligere licet:

Rusticitas agrestis, & inconcinna grauisque.

Vbi rusticitati addidit, agrestem, inconcinnam, & grauem: cū re uera uir agrestis, quasi in agris, quos feræ frequentant, nutritus, rigidus, inconcinnus, & grauis sit: cuius propriū est abhorrere facetias & iocos; ita ut nec dicere, nec audire, eos uelit: ac proinde eius consuetudo est grauis, molesta, acerba, atque morosa: qui nec sibi, nec alijs indulget, dum honestā & necessariam animi relaxationem fugit: et, si quando iocū edit, rustice, illepide, & incondite ludit, aut dicaciter, & conuiciose lacessit, ac mordet. Ad rusticos reuocares Fatuos, Insulsos, Inconditos, Ineptos, & eos qui triuialibus utuntur ridiculis, de quibus

supra

*supra nonnihil diximus. Triuiale dictum censeri
potest hoc, quo pueri & idiotæ sæpe utuntur; si quis
bos, uel asinus uocatus, respondeat, Alius mihi di-
xit. Sed de hoc extremo hucusque: nunc de altero
dicamus. Alterum extremum quo peccatur exce-
dendo modum, appellatur scurrilitas, & qui hac ra-
tione peccant, Scurræ, græce Bomolochi, de cuius
uocis significatione, uide quę Eustratius scribit.
Scurræ igitur dicuntur, qui modum in iocando* Lib. 4. Eth.
*non habent, & eo iocando spectant, ut quacunque
ratione, risum mouendo, pro facetis habeantur:
quorũ uariæ sunt species, quas supra recensuimus:
quare de scurrilitate & scurris nihil aliud dicendũ
occurrit. Sed peteret hoc loco quispiam, an agre-
stes, an vero scurræ magis a mediocritate, siue a fa-
cetudine recedant; cui satisfacerem dicendo, Agre
stem magis a mediocritate abesse, quam Scurram:
quod huic desit modus, ac mensura, ad quam si reuo
cetur, facetus fiet: at uero agrestis, ita a mediocri-
tate abest, ut ad eam non possit, aut uix possit addu
ci, cum iocum fugiat. Is igitur qui in uita huma-
na hæc duo extrema uitat, & in hominum congres-
sibus, atque coronis cum mediocritate dexteritate-
que iocatur, merito facetus dicitur. Atque ex his
eam uirtutem quæ in iocis laudem promeretur, ac
etiam extrema, in quæ qui labitur vituperari solet,
satis manifesta eße arbitror. Et cum ea quæ propo-
suimus plane explicata sint, huic disputationi finem
faciã, si prius argumẽta in cõtrariũ allata dissoluero.*

Ad

Eccl. 4. *Ad primum, idem Sapiens aliquando dixit, Tempus esse ridendi, sicuti & flendi. Ille autem risus censendus est error, qui modum non tenent, qui annexam habet culpam, & ab honesto abducit. Quod attinet ad Pauli auctoritatem, eutrapelia eo in loco, non pro ipsa vrbanitatis virtute, sed pro scurrilitate vsurpatur: unde & noster interpres, scurrilitatem traduxit. Quod uero Fabius ait, facile concedimus; cum inepti hominis sit, ab aliis rideri uelle.*

Ad secundum, non ridere pertinet ad quandam perfectionem: ad quam qui ridendo non aspirat, non peccat; licet minus perfecte se gerat: nec decuit tantam Christi filij Dei maiestatem ridere, cum ad reuocandum homines ad pœnitentiam uenisset.

Ad tertium, beati uocantur qui non rident, quod genus vitæ magis perfectum ineant; uel qui non sine modo rident, quem qui ridendo seruant, infelices dici non debent.

De honesta iocandi ratione, siue de recto iocorum usu. Disput. 8.



VONIAM prudentia quæ est omnium rerum bene gerendarum ratio, ex omnium circunstantiarum obserua tione pendet: propterea, ut facile bonum ludendi usum demonstremus; omnes eius circunstantiæ nobis explicandæ sunt; ut nostri ioci liberales, ingeniosi, eruditi, & apti sint, non rustici atque

in-

insulsi. Ad quod faciendum has statuo positiones. Legge Plu.apopht,

Prima positio, bonus iocandi vsus spectari potest tum ex parte eius qui risum iocando mouet, tum eius qui ob iocum risum edit: Vtrique enim ut ex Aristotele discimus, moderatio quędam hac in parte seruanda est, si peccatum uitare volunt.

Secunda positio, seruare modum, tum in iocando, tum in ridendo, nō est omnino facile. Non in iocādo, quia arduum est in omni re attingere medium, a quo infinitis modis aliquis recedere potest, non secus atque sagittarius a scopo. In ridendo uero, quoniam cum ridiculum idonee factum, aut pronūtiatum, sua ui, ut supra diximus, animum commoueat; certa cū ratione ridere, non est omnino in nostra potestate situm. Sed longe difficilius est moderationem in ridiculis dicendis seruare, quam in ridendo, in quo qui excedit, dum de non ridendis ridet, aut plus iusto ridet, stultitię & leuitatis significationem præbet, qui deficit, stupiditatis. Quod autem illud sit difficilius, cum per se notum est, tum etiam hęc Enniana confirmat sententia, Flammam a sapiente facilius ore inardente opprimi, quam bona dicta teneat; ea scilicet bona dicta, quæ salsa sunt, ac si dixisset, si quis in ore flammam & dictum bonum haberet, illam, si non continere, saltem extinguere, hoc uero nec retinere, nec extinguere posset. Arist. li. 3. Eth.

Tertia positio, rectus facetiarum usus est omnino varius, pro personarum, rerum, temporum locorumque ratione. Nam in conuiuijs, & congressibus, &

in

Lege Philappht. in certis tẽporibus ridiculis uti licebit: et aliquando liberius, aliquando remissius; alias non licebit. Cũ, ut Sapiens ait, tempus sit ridendi, & tempus flendi. Alij ioci decent hominem seruilis conditionis, alij uilicum, alij vrbanum, alij senem, alij puerum: alijs vtuntur Comici, alijs Oratores, alijs denique Principes. Nulla itaque certa hac in re potest prescribi ratio: sed cuique sua prudentia modum inuerit et seruabit.

Arist. li. 5. Eth. Quarta positio, qui honeste, & apte iocari uoluerit, is debet esse ornatus ingenio uersatili, bene culto, atque subacto; ore præterea, & uoce, vultuque & gestu lepido, & eleganti; & denique ipsa facetudinis virtute. Quare, non modo ipsa natura suis muneribus quempiam ad iocandum idoneum facit, sed etiam ars, uirtusque (quidquid aliqui dicant) multum potest, præsertim si usu fuerit confirmata: Quare, ut Aristoteles scriptum reliquit, non est cuiusque ἐμμελῶσ σώκπτειν, hoc est apte & artificiose iocari: sed hic ingenij acumen, iudicium exquisitum, ars denique et doctrina minime uulgaris, ut dicebam requiritur. Ex quibus facile intelligeres, cur aliqui homines, & populi etiam magis quam alij iocis delectentur, & salsius, atque lepidius iocentur. Byzantij, Rhodij, Siculi, Attici pre ceteris urbani, & festiui censentur: cuius rei ea redditur caussa, quod clementiore & puriore utantur cælo. Thebani non itẽ, ob aeris crassitiem: in quibus cum habetiores sint, nihil leporis, nihil festiuitatis reperitur. Hinc adagium

gium illud, Boetum crasso iurares aere natum: Ro-
mani, si Ciceroni credis, alijs omnibus fuere salsiores:
quod uerum an sit, facile cognosceres, si eorum sa-
les cum aliorum facetijs conferres. Quamuis Græ-
ci ob linguæ naturam maiorem habeant in iocando
facilitatem: qui tamen sæpe frigide, & humiliter io-
cantur; quos Romana grauitas longe superauit; cum
magis succulentos & sapidos risus ediderit. Apud
Italos Perusinis, Senensibus, & Florentinis festiui- Pont.
tatis laudem quidam tribuunt. Hispanorum dicta-
ta, ut aliqui scribunt, in eo peccant, quod sint am-
pullosa, acida, & nimio sale aspersa, & magis in
subsannationes, & inuectiuas propendant, quam in
delitias, & lusum. sed de ludente hactenus.

Quincta positio, ridicula etiamsi alias bona sint,
non sunt dicenda in calamitosos, & aliqua miseria
oppressos; ut sunt egeni, ægroti, exules, & corpo-
re deformes: quia id ingenium inhumanum, petulãs,
& superbum indicat. Hinc est, quod apud veteres
Christianos, qui hominem aliqua ratione corpore Can.
deprauatum irridebat, a communione reijciebatur. Apost.
Vnde prudenter hunc mimum inter alios Publia-
nus fecit.

In calamitosos etiam risus iniuria est.

Ac si dixisset, miseri etiam risu offenduntur. Et qui-
bus res sunt minus secundæ, eos ad suspicandum ra-
piunt etiam, casu dicta. Vnde etiam Catonianus au-
ctor, recte, monuit cum dixit, Miserum ne irriseris:
quia calamitas potius misericordiam, quam nasum

meretur. Neq; in scelestos homines, præsertim cum aliquid minus honeste faciunt; quia non risu excipiēdi, sed pęna afficiendi sunt, & non tam contemptū, quam indignationem merentur. Neque etiam in Maiores & in Magistratum, quem honore excipere & colere debemus: quoniam risus contemptus speciem præ se fert, & iram grauem interdum parit: quamuis nemo fere sit, in quo leuior saltem turpitudo, quæ ridendi occasionem præbeat, non reperiatur. Denique, nec plures simul, neque integræ nationes, & ordines irridendi sunt: quia id sine periculo fieri non potest.

Fab. *Sexta positio, quod attinet ad ridiculorum qualitatem, is qui apte & honeste iocari uult, dicta salsa, uerecunda, & honesta proferat, ex tempore facta, non præmeditata, aut domo allata; quia hęc malitiam olent, & stupiditatem sapiunt: insulsa, fatua, frigida, & triuialia vitet, quæ potius męstitiam, quam delectationem creant: nimis mordacia, & aculeata fugiat, quæ magis odium, quam risum cient. Sint igitur ioci non dentati, sed edentuli, non obscęni, sed nitidi, grauiq; gestu proferantur; ita ut risus quasi serio agendo excitetur. Quo fit, ut non omnia ridicula sint faceta; sed quæ ingenij acumen, & dexteritatem cum honestate demonstrant. Ab extremis itaque recedendo, si ad medium, quantum fieri potest, accedetur, bonum fiet ridiculum.*

Septima positio, quod attinet ad res, in rebus grauibus & magnis, ut sunt illæ, quæ ad religionem per-

pertinent, quia ingenij ostenditur petulantia, & parux pietatis indicium datur; qua in re nonnulli peccant, dum sententijs ex diuinis litteris suptis ludunt, id quod sacris decretis est prohibitum, non est iocandum; similiter, nec in rebus calamitosis & miseris; quia hoc est imprudentiæ signum, sicuti nec in facinorosis, & improbis, atque ualde turpibus. Quare cauendum est, ne quempiam nimis turpia obijciendo offendamus; cum maior turpitudo secum dolorem & indignationem afferat. Ideo Virgilianus Menalcas, cum se nimis lacessitum ob furti culpam a Dameta sentiret, seuere eum increpando dixit, Cōc. tri. Ecl. 3.

Parcius ista viris, tamen obijcienda memento,

ac etiam grauiora obiecit.

Octaua positio, cauendum est, ne in ludo sit quid nimis, quare iocus non debet esse immodicus, & frequens; quia mimicum, & scurrile est. Huc pertinet hæc Catoniani auctoris sententia:

Inter conuiuas, sis sermone modestus,

Ne dicare loquax, dum vis vrbanus haberi.

Orator igitur, ut de eo speciatim loquamur, suam retineat grauitatem & auctoritatem, uideat quatenus ludendum sit. Qua in re Ciceronem peccasse alij qui memoriæ prodiderunt; quod plus æquo, & in cōuictu, & in foro facetijs usus sit: & aliquando dicere non dubitauerit, & male quidem, Maluisse interdum amicum, quam bonum dictum perdere. Propterea aliquando in Pompeium amicissimum parū Macr. Quint.

honeste dixit, Quem fugiam habeo, quem sequar nō habeo. Item in eundem, cum externum hominem ciuitate donasset, O bellum hominem, ciuitatem promittit alienam, qui nobis nostram non potest reddere. Quare merito aliquando Pompeius dixit, Cupio ut ad hostes Cicero transeat, ut nos timeat. Cum itaque hilari quodam & festiuo uteretur ingenio, ut ipse de se aliquando scripsit, non modo in sermonibus, sed etiam in orationibus sales & dicacitatem adhibuit: & ita, multa in Verrem, in M. Antonium, in Pisonem, in Clodium mordaciter pronuntiauit, & sæpe in Græcos: quod a suo patre hæreditarium habuit. Nanque Cicero pater aliquando dixit, Quemadmodum, ut quisque Syrorum venalium optime græce scit, ita nequissimus est: sic, ut quisq; Romanorum optime nouit linguam artesque Græcorū, ita certe solet esse pessimus.

Tusc. 5.

Nona positio, ad recte iocandum habenda est ratio loci. Quare, non in senatu, non in ecclesia, non in loco omnino honesto, sed in circulis, in congressibus amicorum, & in quotidiana consuetudine facetijs utendum est.

Decima positio, qui honeste ludere uolunt, temporis rationem habere debent. Quare, cauendum est, ne ridiculum intempestiue fundatur: cum omnia tempus habeant. Et ut sapienter scripsit Isocrates, πᾶν ἄκαιρον λυπηρὸν, idest, omne intempestiuū triste. Et sane, quis accusatorem in atroci caussa, aut Patronum in miserabili iocantem ferat?

Isocr. orat. ad Demon.

Vnde-

Vndecima positio, ut risus omni uitio careat, spectandus est finis, & ita eo referendus est, quo sua natura referri debet, aut recta ratio dictat; ad honestã nimirum animi relaxationem. Orator autem in caussis agendis ad eum finem iocum referat, quem propositum habet, hoc est ad iudicem, & auditorem conciliandum, ad delectandum, & tandem ad persuadendum. Ea igitur ridicula excogitabit, & adhibebit, quæ ad propositum finem obtinendum sunt accommodata: qua de re, quæ luculenter scripsit Fabius ea adscribere non pigebit. In hac quidem pugna forensi, inquit, malim mihi lenibus interdicere: quamquam, & contumeliose, & aspere dicere in aduersarios permißum est: cum accusare etiam palam, & caput alterius petere concessum sit. Sed hic quoque tamen inhumana uideri solet fortunæ insectatio: uel quia culpa caret, uel quia recidere etiã in ipsos qui obiecerunt potest.

Primum itaque considerandum est, & quis, & in qua caussa, & apud quem, & in quem dicat. Oratori minime conuenit distortus uultus, gestusq; quæ in mimis rideri solent. Dicacitas etiam scurrulis, & scenica huic personæ alienissima est. Obscœnitas uero non a uerbis tantum abeße debet, sed etiam a significatione: Nam si quando obiici potest, non in omni loco exprobranda est. Oratorem præterea, ut dicere urbane uolo, ita uideri affectare id, quod plane nolo. Quapropter, ne dicet quidem salse quoties poterit, & dictum potius aliquando perdet,

quam minuet auctoritatem. Nec accusatorem aut atroci in caussa, nec patronum in miserabili iocantem feret quispiam. Sunt etiam iudices quidam tristiores, quam ut risum libenter patiantur. Solet interim accidere, ut id, quod in aduersarium dicimus, aut in iudicem conueniat, aut nostrum quoque litigatorem: quanquam aliqui reperiuntur, qui ne id quidem, quod in ipsos recidere possit, euitent. Et Cæsar apud Ciceronem, exponens quæstionem illam risus, Quatenus, his pene diuinis uerbis, omnia fere quæ hactenus docuimus exposuit. Nam nec insignis improbitas & scelere iuncta, nec rursus miseria insignis agitata ridetur. Facinorosos maiore quadam ui, quam ridiculi uulnerari uolunt: miseros illudi nolunt, nisi si se forte iactent. Parcendum autẽ est maxime caritati hominum; ne temere in eos dicas, qui diliguntur. Hæc igitur adhibenda est primum in iocando moderatio. Itaque ea facillime luduntur, quæ neque odio magno, nec misericordia maxima digna sunt. Quamobrem materies omnis ridiculorum est in istis uitijs quæ sunt in uita hominũ carorum, neque calamitosorum, neque eorum, qui ob facinus ad supplicium rapiendi uidentur: eaque belle agitata uidentur. Est etiam deformitas corporis vitiorum satis bella materies ad iocandum. Sed quærimus idem quod in ceteris rebus maxime quærendum est, Quatenus. In quo, non modo illud præcipitur, ne quid insulse; sed etiam si quid perridicule possis, uitandum est oratori vtrunque; ne, aut

scur-

ſcurrilis iocus ſit, aut mimicus. Hactenus Cæſar. Et Ariſtoteles, cum docuiſſet in humana uita opus eſse iocis, & eorum bonum uſum in mediocritate conſiſtere, hæc adiecit uerba, Quædam ſunt, quæ & ioco dicere, & audire talem hominem decet: & ingenui hominis iocus a ſeruis, & item eruditi ab inerudito diſtat. Id quod ex comędijs ueteribus & nouis licet vnicuique perſpicere. Illis enim uerborum obſcęnitas, his obſcęnitatis ſuſpicio tantum riſum faciebat: hæc autem in honeſtate non paruam habent differentiam. Ex quibus facile intelligeres, a comædijs obſcęna uerba prorſus explodenda eſſe: et riſum ſolum ex eorum ſuſpicione eſſe captandum: qua in re paucos ex noſtris inuenies, qui contra artem, contra virtutem, & contra religionem non peccent, cum minus pudice, quam olim uera Dei notitia & cultu deſtituti alienigenæ, comædias ſcribant: quorum comędiæ, ſeu potius ſpurcitiæ, non lectione, ſed combuſtione ſunt digniſſimæ.

Lib. 2. orat.

Duodecima poſitio, rectus iocorum uſus, tum in omni vita, tum in arte dicendi magnas ſecum utilitates affert. Primum, ſi a uirtute proficiſcatur, aliquid, etiam apud Deum, promereri poteſt. Deinde, virtutis ſignificationem præbet, ac proinde laudē promeretur: quæ ſane laus non debet eſſe leuis, cum a uirtute non parum difficili proficiſcatur; a qua viri grauiſſimi eam ſibi petendam putarunt. Præterea, ingenij atque acuminis maximum argumentū præbet is qui apte, & eleganter iocatur. Ad hæc,

Athen. lib. 9. Lege Plut. li. educ.

honestus iocus, gratiam sibi conciliat, amicitiam conseruat, mestitia affectos ad hilaritatem reuocat, sæpe iram frangit, & infligendam pœnam, aut auertit, aut mitigat. Huius effectus tale affertur exemplum, Tarentini multa de Pyrrho rege securius inter cœnam loquuti fuerant, cum rationem facti reposcerentur, & res nec negari, neque defendi posset, risu & opportuno ioco sunt elapsi. Nãq; ex eis, Immo, inquit, nisi lagena defecisset, occidißemus te. Valet autem speciatim ad animos tristes & acerbos ad lętitiam & lenitatem traducendos, præsertim in acclamatione aduersa populi, ut Cicero his verbis docet, Nullo autẽ loco plus facetiæ prosunt, & celeritas, & breue aliquod dictum, nec sine dignitate, & cum lepore. Nihil enim tam facile; quam multitudo a tristitia, & sæpe ab acerbitate, commode ac breuiter, & acute, & hilare dicto deducitur.

Lib. 2. orat.

Decimatertia positio, malus ridiculorum vsus est valde perniciosus. Procreat enim effectus contrarios ijs, quos aptæ facetiæ gignunt: & sępe in iugulum redit. Quare, si Cicero eam doctrinam ad vsum traduxißet, quam de recto iocorum usu dederat, multorum in se indignationem non irritasset: & St. atonius Atheniensis, si bene facetus fuisset, Nicoclem Cypriorum regem ad ipsius necem non incitasset: atque etiam Aristoxenus si Dionysium Siciliæ regem non illusisset, in latomijs inclusus vitam non finiuisset. Et sane, quid potest excogitari absurdius

Athen. lib. 7. Lege Plut. li. educ. Idẽ li. 1.

dius atque imprudentius, dicam, & stultius, quam inde sibi odium conflare, aut necem adsciire, unde gratia & uenia comparanda esset, ac eos uelle uerbis pugere, qui strictos gladios gestant? & ad rixas meroremq; conuertere, quod ad beneuolentiam, & ad delectationem conciliandam est institutum? Et si sales animi caussa probantur, non ideo probantur, quod alijs obsint, quod alios ad odium inflamment, & mæstitia compleant; quod nec ingenui hominis, nec viri boni est: cum facetus esse non possit, qui itidem non sit vir bonus. Sit itaque is, qui facetudinis laudem promereri cupit, multa comitate aspersus; quæ est huius virtutis necessarium condimentum. Atque de ridiculis hactenus: de quibus ideo paullo longius nobis disputare licuit, quod eo tempore, quo magis bacchanalia feruent, de eis scribere contigerit: quorum scriptio, intra domesticos parietes, spectacula, ioci, comediæ, saltationes, & symphoniæ gratissimæ nobis fuerunt. Et cum nihil aliud de hoc secundo Oratoris officio nobis scribendum restet, hic esto huius libri finis.

Libri secundi Finis.

DE OFFICIO ORATORIS LIBER III.

In quo de officio mouendi agitur.

An agere de animi affectibus a Rhetorem pertineat. Disp. I.

CVM non ignorem quosdam fuisse Rhetores, qui hanc de affectibus tractationem ad artem dicendi nullo modo pertinere existimarunt; propterea tertium oratoris officium de affectibus permouendis explicaturus, eorum sententiam, vt quid hac in parte tenendum sit demonstrem, priore loco examinandam esse iudicaui. Et vt quod in dubium reuocatum est, difficultate non carere ostendam, hæc quæ subijciam, ad illorum opinionem confirmandam, excogitaui argumenta.

Primum, earum rerum tractatio ad Rhetorem pertinet, quarum notitia ad finem consequendum, hoc est ad persuadendum est necessaria, id quod prudens negaret nemo: affectuum uero cognitionem nō
li. 1. rhe. c. 1. *esse huiusmodi, grauissima Aristotelis auctoritate cō firmare licet: qui sui temporis dicendi Magistros redarguit, quod de affectibus, quasi de additamentis quibusdam, & de ijs quæ ad artem non pertinerent,*

scri-

scriberent, & de enthymematis, quæ sunt orationis nerui, nihil dicerent: igitur.

Deinde, affectuum explicatio, ut sunt quædam animi motus & operationes, pertinet ad Philosophum naturalem; qui dum agit de animo, eius facultates actusque explicat: at uero ut honestatis & turpitudinis sunt capaces, explicantur a Philosopho ciuili, qui de moribus & actionibus humanis disputat: eorum igitur tractatio ab arte dicendi erit prorsus aliena; cum de eis alia ratione disputari nequeat. Arist. in lib. de ani.

Preterea, si Rhetori aliquo pacto affectuum explicationem suscipere licet; maxime quia affectus ad persuadendum conferunt, quod non vno in loco affirmaße uidetur Aristoteles; dum dixit, tria esse quæ fidem faciunt, Entymemata, dicentis mores, & Iudicis affectiones: at si ista caussa urgeret, dicerem etiam eloquutionis doctrinam fidem facere, & valere ad persuadendum; id quod idem Aristoteles affirmauit: qui ideo de eloquutione sibi agendum esse dixit, quod ad opinionem & persuasionem faciendam conferat. Qua in re sibi contrarius esse videtur; quia aliquando sola entymemata persuadere dixit: alibi mores præcipuam uim habere ad fidem faciendam affirmauit: alibi iudicis permotionem fidem nō facere. Quare Aristoteles non sibi constat; cum modo pauciora, modo plura ad fidem faciendam ualere docuerit. Li.1.rhe. c.2. L1.3.c.1. L.1.rhe.

Adhęc, contra istam de affectibus doctrinam, his uerbis disputat Antonius, Quis enim unquam orator

tor magnus, cum iratum aduersario iudicem facere uellet, hesitauit ob eam caußam, quod nesciret, quid eßet iracundia, feruor uementis; an cupiditas puniendi doloris? & quæ ibi sequuntur: ex quibus sane verbis intelligitur, istam affectuum cognitionem non esse necessariam.

Li. 1. or. Postremo, Orator solo verborum genere motus efficit, quod præstare potest sine ulla affectuum notitia: igitur nihil est neceße, vt Rhetor, qui artem dicendi exponit, aliquid de affectibus scribat. Atque e multis quas afferre potuissem, has paucas rationes attulisse sufficiat.

In hac disputatione duo potissimum nobis explicanda sunt; primum an hęc tractatio ad Rhetorem pertineat, alterum, quæ & quot sint ea quæ ad persuadendum conferunt.

De primo, fuit quorundam opinio, qui existimarunt, hanc disputationem de affectibus nullo modo ad Rhetorem pertinere, & nihil opus esse, ut orator affectuum naturam noscat. Ita olim senserunt quidam dicendi magistri, vt ex Platone discimus, a quorum sententia non uidetur alienus Trapezuntius, qui errare dixit eos, qui curiosius effectus numerant, cum ut ab Oratore tractantur, sint pene innumeri; ac proinde nihil de eis scripsit. Concedit tamen, ad Oratorem pertinere affectuum tractationem, idque orationis genere diuerso, pro eorum diuersitate; & eos non ad inuentionem, sed ad eloquutionem pertinere ait. At vero alij contra existimarunt,

Lib. 3. in fine.

sunt, & ideo in suis de arte dicendi libris, nonnihil
de affectibus scripserunt, Ita Aristoteles, Marcus
Tullius, Quinctilianus, & cæteri fere omnes dicen-
di artifices, ac etiam Plato, qui scriptum reliquit, In Phæ.
eos nõ scripsisse ex arte, qui de animi affectionibus Claud.
nihil scripserunt. De altero, uariæ Aristoteles Min. Syn t. 17.
scripsit; nam aliquando solas rationes persuadere
docuit, & reliqua omnia, Additamenta appella-
uit; vt sunt morum significatio, affectuum commo-
tio, atque uerborum eloquutio: quam ab auditorũ
prauitatem necessariam esse non vno in loco affirma
uit; & in summa aliquando unum, aliquando duo,
aliquando tria, ac etiam quattuor ad fidem facien-
dam conferre scripsit; Cuius doctrinam multi se-
quuti sunt. Qua in parte, illud potissimum discu-
tiendum est, an ea persuasio, quæ a moribus & ab
affectibus sumitur, sit omnino huic arti extrinseca,
quod multi affirmare uidentur, quorum sententiæ
nos non facile subscriberemus. Vt autem proposi-
tas difficultates plane explicemus, nonnulla fun-
damenta nobis ponenda sunt.

Primum fundamentum, nomine affectus hoc loco
intelligimus omnes animi commotiones, siue maio-
res, siue minores sint, quibus, cum sumus affecti, uel
aliter iudicamus, agimusque, aut remissius, uehemẽ
tius ue quicquam uolumus, aut efficimus; perquos
etiam morum significationem damus: qui, quid, &
quot sint, postea docebimus. At uero morum nomi-
ne intelligimus significationes quasdam uirtutum,

siue

siue ad probitatem, siue ad cognitionem pertineant: quare hoc nomine, eæ designantur uirtutes, quibus homines proprie boni nuncupantur. Sunt autem mores in duplici genere, alij qui proprie mores nominantur, ut sunt illi qui a uirtutibus & uitijs proficiscuntur: alij improprij, ut sunt illi qui hominũ ętates sequuntur. Similiter, aliqua oratio dicitur morata, uel quia ueros mores, ut clementiam, iustitiam, patientiam, & alias uirtutes, aut etiam uitia ostendit, uel quia pathos & affectus continet; qui cum mores indicent, moratam faciunt orationem, & ad persuadendum conferunt. Rursus, mores spectari poßũt, uel in dicẽte, uel in auditore, uel in eo pro quo dicitur; sed hoc loco de moribus dicentis est dubitatio: quorum duæ sunt considerationes: altera, ut sunt cogniti ab auditoribus etiam extra ipsam orationem: altera ut in ipsa oratione & actione cernuntur, & elucent. Et quidem dubitari potest, an altero modo debeant esse cogniti, ut fidem faciant.

Secundum fundamentum, quando queritur, an tria ad fidem faciendam ualeant, enthymemata siue demonstrationes, mores, & affectus, id dupliciter intelligi potest: primum ex se suaque natura, & ratione rei quæ demonstranda suscipitur, deinde ex accidenti, & extra rei naturam, ut ex auditorum habitu. Et quoniam certum est demonstrationes sua ui persuasionem gignere, tota dubitatio est de moribus, & de affectibus, qui cum ex se fidem non faciant,

sed

ſed ex quadam auditorum prauitate, qui cum rationes nõ percipiant, aut illis ſe permoueri non ſinant, affectibus trahendi ſunt, ab arte alieni eſſe uidentur & eorum cognitio non neceſſaria. Ex quibus colliges, perſuaſionis nomen dupliciter uſurpari poſſe; uno modo propriiſſime, pro ea quę ſola ratione, & argumentis fit; altero pro ea, quæ quacunq; ratione, uel morum ſignificatione, uel affectuum commotione, aut etiam ornata oratione & eloquutione gignitur: inter quæ uaria fieri poteſt comparatio, quærendo, quid ex his magis fidem faciat, & magis proprie ut in ipſis poſitionibus dicemus; ad quas, his poſitis fundamentis, accedo.

Prima poſitio, tria ſunt quæ proxime perſuaſionem fidem ue faciunt, enthymema ſiue demõſtratio ratioque, mores, & affectus. Doctrinam eſt Ariſtotelis, quam multi, & iure quidem optimo, ſunt amplexi. Hoc præter alia loca docuit, cum libro primo ita ſcripſit, Harum igitur quæ ratione parantur perſuaſionum genera ſunt tria. Nam alia ſunt in moribus eius qui dicit: alia in auditore modo quodam afficiendo: alia in ratione ipſa cum demonſtramus, aut demonſtrare uideamur. Quod attinet ad demonſtrationes res eſt manifeſta; de moribus & affectibus patebit ex ſequentibus. Cap. 2. lib. 2. c. 2

Secunda poſitio, ſola enthymemata ſua ui fidem, perſuaſionemq; gignũt. Hoc docuiſſe uidetur Ariſtoteles, cum quæ præter enthymemata ad perſuadendum adducuntur, additamenta uocauit: quoniam, ſi di- Lib. 1. rhet. c. 1.

dicentis mores & affectus cum re ipsa quæ demonstranda est, & cum argumentis conferantur, additamenta sane uocari possunt. Quam doctrinam vir grauissimus Aegidius, hunc locum tractando, pulcherrime exponit, atque confirmat. Sunt enim quę ad permouendo animos asseruntur extra rem ipsam, & solum auditores spectant. Quare, qui relictis rationibus, ea tantum prosequuntur quæ ad animos commouendos ualent, ij minus accommodate ad rem dicunt, & minus docent: Et non secus errant, atque erraret ille, qui de corporis natura disputaret, & nihil de eius substantia, sed solum de accidentibus diceret.

Aegid.

Tertia positio, mores, ratione auditorum, magnam uim habent ad persuadendum. Hanc doctrinam tradidit Aristoteles cum dixit, Propter mores igitur credunt, cum sic dicitur oratio, ut fide dignus qui dicit uideatur. Nam probis, & magis, & facilius de omnibus simpliciter credimus. Ad Aristotelis auctoritatem accedit etiam communis hominum sensus, & experientia. Quisque enim facile existimat, eos decipere non posse, qui sint bonis moribus ornati. Adde etiam, quod cum in rebus probabilibus & in dubijs uersamur, pręiudicata de moribus dicentis opinio, aut eorundem significatio, cum dicit, multum ad permouendum cōfert. Huc facit illud Quinctiliani dictum, Qui dum dicit malus uidetur, utique male dicit. Idem itaque facit probitas in dicente, quod experiētia in senibus.

Lib. 6. cap. 2.
Lib. 6. eth.

Quod

Quod si hoc loco peteres, cur Aristoteles libro secũdo Rhetorices dixerit, prudentiam & beneuolentiam fidem facere, responderem, ea de caussa, quoniam hæc duo requiruntur in eo qui fide sit dignus, maxime in genere deliberatiuo; cum imprudentes non bene consulant, & eos, qui in nos sunt male affecti nobis non consulturos esse existimemus.

Quarta positio, non tam mores præiudicati & cogniti, quam qui orationis ui demonstrantur ad orationem moratam conficiendam ex parte dicentis conferunt. Quoniam accidit, vt is qui dicit habeatur pro bono ab omnibus auditoribus antequam dicat. Quare probitas ui orationis apparere oportet; & de hac probitate Rhetor præcepta dare debet; cuius significatio omnibus dicentibus est vtilis, etiamsi quis non sit vere bonus: & de ea, quæ potest arte præparari, & in dicentis potestate est sita. Quæ autem ad orationem moratam efficiendam ualeant, Libro tertio de eloquutione oratoria docuimus. Quando dicimus moratam orationem uim habere ad persuadendum, intelligimus de ea quæ significationem præbet, tam uirtutum cognitionis, vt sunt scientiæ & artes, quam actionis, vt sunt iustitia, prudentia, & alia.

Disput. 18.& seq

Quincta positio, affectus ratione auditorum proxime conferunt ad fidem faciendam. Primum, quoniam, vt Aristoteles ait, non eadem iudicibus videntur cum diligunt, & cum oderint; nec iratis et quietis: Sed uel omnia diuersa, uel magnitudine diuersa.

uersa. Quare, ut experientia docet, homines affecti aliquid iudicant, & credunt, quod alias non iudicarent, nec crederent: & aliter, atque aliter affecti, aliter atque aliter iudicant. Deinde contingere potest vt demonstratione destituamur, vel vt auditor non attendat: ac proinde in affectus permouendus sit, & tunc facile fidem habebit, cum ij, gratia exempli, facile credant, qui amant. Adde etiam, quod auditores & iudices sæpe non percipiunt rationum momenta, nec ueritatem ipsam intuentur: sed potius affectibus ducuntur, atque ex affectibus magis, quam ex ratione iudicant.

Ant. lib. 4. Euer. Sect. 6. *Sexta positio, mores magis persuasionis nomen merentur, quam affectus, uel quod idem est, magis ad fidem faciendam conferunt. Primum, quoniam nunquam Aristoteles de affectibus dixit, quod de* Lib. 1. Rhet. *oratione morata pronuntiauit, habere uim precipuam ad fidem faciendam. Et propterea, ni fallor, aliquando de affectibus loquendo, affirmauit, Iudicis motionem non facere fidem, comparata nimirum ad mores dicentis, qui magis fidem faciunt, quam affectus. Deinde, quia affectus magis uidentur animum præparare ad aßentiendum, quam ipsam aſſẽsionem gignere: quã tamen aliquo pacto procreant, dum id faciunt credere, quod alias non crederetur: at vero mores fidem ipsam attingunt. Adde etiam, quod Iudicis affectio per dicentis mores excitatur, & commouetur.*

Septima positio, eloquutio non facit per se fidem,

ad

ad persuadendum tamen aliquo pacto iuuat. Quod ex se fidem non faciat, patet ex Aristotele, qui eloquutionem nunquam in persuasionibus numerauit: ornata enim oratio solum detinet auditorem, atque delectatione quadam afficit, & nihil proxime credere facit, ut illa tria superius numerata. Quod autem aliqua ratione iuuet, ex Aristotele colligere licet, qui cum initio libri tertij dixisset, tria eße quibus fides fit, adiecit, Non satis esse habere quæ dicenda sunt; sed necessarium esse ea, ut oportet dicere: quod plurimum confert, ut oratio qualis quædam, hoc est aliquo modo affecta, & moribus informata videatur. Et paullo infra, Verum, inquit eloquutio ipsa habet parum quid in dicendo semper necessarium: refert enim ad significandum, sic, aut sic dicere, quamuis non tantum. Iuuat itaque eloquutio ad persuadendum, quia facit ut libenter audiatur, quod alias non audiretur: non secus atque mel ad absynthium sumendum. Ex quibus colligere licet, non esse quattuor persuasionum genera, cũ eloquutio, sua ui aßensionem non procreet; sed solum est caussa cur iudex audiat, uel attentius audiat.

Cap. 1.

Octaua positio, tractatio de affectibus non est aliena ab arte dicendi, ita ut Rhetor omnino de affectibus disputare, & eorum uim ad suum finem accommodate considerare debeat. Primum, patet hæc positio auctoritate grauissimorum Rhetorum, qui hanc partem non prætermiserunt: ita Aristoteles, M. Tullius, Fabius, & Plato, qui primus omnium antiquos

artifices redarguit, quod de affectibus non scripserint. Aliqui affectuum naturam explicarunt quidē sed de modo quo permouendi sunt, nihil dixerunt: alij uero contra. Neque Aristoteles reprehendit antiquos dicendi Magistros, quod de affectibus disserent, quia ipse quoque reprӕhendendus esset, cum de illis diligentes scripserit; sed quod de enthymematibus quӕ sunt orationis nerui nihil dicerent; cū quibus si comparentur affectus, additamenta uocari possunt. Deinde, quoniam Rhetorica est facultas videndi quidquid ad persuadendum confert, quod arte tractari possit: at huiusmodi sunt affectus: igitur. Quod sumptum fuit, manifestum est ex definitione Rhetoricӕ: subsumptio patet ex ijs, quӕ supra scripsimus: Quod etiam confirmares ex eo, quia sӕpe cōtingere potest, ut auditor sciat & credat, & tamen nolit quod nouit efficere; ad quod per motuum tractationem incitandus erit: ut accidit in concionibus, quas habent Christiani Oratores, qui ut plurimum de ijs rebus dicunt, quas auditores norunt & credunt; sed cum non faciant, sola affectuum commotione est opus. Ac proinde dicere solemus, eos esse bonos Concionatores, qui mouent; cum re uera in dicendo dominetur motus; quem qui facere nequeunt, a contione abstineant.

Quod si dicas, motus necessarius est ob auditorum prauitatem, ac proinde esse quid ab arte alienum; & ideo Aristotelem aliquando dixisse, ӕquum esse rationibus certare; responderem, negando consequutionem;

nem; quia oratio cuius conficiendæ Rhetor præcepta tradit, debet esse accommodata ad omnia auditorum genera, et ad popularem sensum. Quare, nō solum enthymemata, quę eruditos persuadent sed etiam affectus quibus populares mouentur, considerare debet.

Neque obstat, ꝙ alij artifices de affectibus disputent, quoniam Rhetor alia ratione, et ad alium finem de eis agit. Physiologus eorum caussas naturales inquirit: Qui mores tractat Philosophus, docet qua ratione in officio contineri possint, & ut honestatis & turpitudinis sunt capaces: Rhetor, ut cōmoueri se dariq; possunt; et id alicuius rei persuadendæ gratia; quod sane facere nequit, ni aliquo pacto eorum naturam habeat exploratam.

Nona positio, eloquutionis disputatio, non est ab arte dicendi aliena, ita vt uerum non sit quod aliqui docent, pertinere ad artem histrionicam. Hanc ueritatem, alibi late demonstrauimus: hoc autem loco ideo eam ponimus, ut doceamus, quosdam ex eo Aristotelis loco, vbi quæ ab antiquis de arte tractabantur, additamenta uocat, etiam eloquutionem fuisse ab arte exclusam satis inepte colligere. Quod autem ex isto loco id non colligatur, ex eo intelligitur, quod Aristoteles non confert pistes, hoc est argumenta cum eloquutione, sed cum alijs rebus quibus orator nititur, hoc est cum moribus et perturbationibus: & de solis rationibus siue enthymematis docet esse orationis corpus, & per se ad orationem pertinere. Eloquutio autem ita se habet, ut in omni-

Niph. Ant. Ber

Lib. 1. rhet. c. 1

omnibus sit necessaria, cum ab oratore omnia ornate copioseque dicenda sint. Quo fit, ut eloquutio sit maxime arti infixa, cum argumenta, quę sunt orationis corpus, sine eloquutione in arte dicendi non consistant.

Qui contra sentiunt, in eo sunt fortasse decepti, quod inter eloquutionē & motum animorum non distinxerunt, cur autem ita existimare potuerint, nihil uideo. Sed de his satis, restat ut ad argumenta respondeamus.

Ad primum, falsum est, quod animorum permotione, qua efficacissime, quod alias credi potuisset persuadetur, homines ad efficiendum non traducantur: sine qua, ut experientia docet, pauci sunt qui persuadeant; cum homines, uniuerse loquendo, non tam ratione, quam affectu ducantur. Aristoteles autem, ideo redarguebat antiquos, quod quæ erant ad persuadendum ubique & apud omnes sua ui atque natura necessaria, omitterent.

Ad secundum, ideo Rhetori aliqua affectuum habenda est notitia, quia uim ad persuadendum habent maximam: quam uim is qui ad hunc finem ea adhibere uoluerit, habere debet omnino perspectam. Nec, vt aliis in locis scripsimus, absurdum est, ut eadem de re diuersæ disputent disciplinæ.

Ad tertium, concedimus ob eam rem Rhetorem de affectibus scribere, quia ad persuasionem gignendam conferunt; negamus tamen rationem esse cum eloquutione parem; vt ex iis quæ adnotauimus facile

cile intelligi potest. Nec Aristoteles est sibi contrarius quia, aliter considerauit eloquutionem & affectus, cum eos in additamentis collocauit, quam cum ad persuadendum confere dixit .Licet ergo sua ui atque natura sola enthymemata fidem faciant: tamen, si oratio ad animorum motionem, & ad popularem sensum debet esse accommodata, eam & affectus, & mores continere necesse est.

Ad quartum, quid ad hoc argumentum respondendum sit, patet ex dictis. Nec mirum est quod Antonius ita disputauerit: quia eorum agebat partes, qui oratori rerum quas tractat notitiam non esse neceßariam putabant.

Ad vltimum, falsum est oratorem solo uerborum genere animos permouere: cum, ut diximus, eloquutio sit a motuum permotione diuersa: motus autem nemo faciet, qui aliquam eorum cognitionem non habuerit; hoc est, qui eorum caussas, effectus, uarietatemque aliqua parte non nouerit.

An dicendo animos affectibus permouere liceat. Disp. 2.

NI aliqui extitissent, qui omnes humanos affectus & perturbationes malas esse existimarunt; ut hanc disputationem hoc loco tractaremus, nihil opus fuisset. Ne igitur aliquis hoc tertiũ oratoris munus penitus euertat, dicendo, non licere aliquo modo af-

fectus commouere, antequã ad eorum explicationem accedo, demostrandum est, omnino a uero aberrare eos, qui omnes humanos affectiones in vitijs ponunt. Et vt rem propositam dubitationem aliquam habere demonstrem, has subijcio dubitandi rationes.

Prima, quæ a definitione sumitur, Perturbatio, quam Græci pathos uocant, est auersa a recta ratio
Tus.4. *ne contra naturam animi commotio: Sic enim Zeno Stoicorum princeps eam finiuit: atqui, quod a recta*
Cic. in parad. *ratione auertit necessario malum est, cum sit peccatum; peccare enim nihil aliud est, quam transilire lineam, hoc est a recta ratione recedere: omnis igitur perturbatio mala.*

L.1.c.1. *Sesunda ratio, sumpta ex ijs quæ Aristoteles in rhetoricis scripsit; vbi reprehendes antiquos dicendi magistros, qui de motibus faciendis præceptu dabant, non secus eos errasse dixit, atque illi errarēt, qui rectam regulam, qua aliquid dirigere uellent, prius inflecterent: quæ inflexa inutilis et inepta omnino ad dirigendum est. Non enim ait Aristoteles, oportet in iram, aut in inuidiam, aut in misericordiam impellendo a recto iudicem deflectere: ne similes ei simus, qui eam qua usurus sit regulam prius inflectit.*

Tertia, is qui est aliqua perturbatione affectus, est minus idoneus ad uerum inspiciendum, non secus ac is ad uidnedum, ob cuius oculos obuersarentur nubes, quæ solis aspectum impedirent sunt enim perturbationes veluti quędam animi nubes, ac proinde

Cicero,

Cirero, cum aliquando perturbationum ui iudices in suam sententiam pertraxisset, se iudicum mentibus tenebras offudisse gloriabatur. Quare, ne rectum auditorum impediatur iudicium, nunquam affectus commouere licebit.

Quarta, aut affectus sunt boni, aut mali: si boni, nunquam erũt cohercendi, & frenandi; quod tamen falsum est: si mali penitus resecandi, quod etiam a ueritate abhorret.

Postremo, bene constitutæ ciuitates affectuum commotionem prohibuerunt, & speciatim Iudices Areopagitæ, ut Aristoteles testatur, apud quos hæc vigebat consuetudo, ut Præco premoneret eum, qui dicturus accedebat, dicendo, μὴ προοιμιάζου, μὴ δὲ ἐπίλεγε, hoc est, nec proemio, nec epilogo uteris: ꝙ hæ duæ partes potissimum ad motum faciendum sint comparatæ. Cur autem id prohibuerint, nulla alia potest assignari ratio, quam quod commotio non sit honesta, nec vtilis: reijcienda igitur. Vnde sapienter Cesar apud Sallustiũ hunc in modũ loquitur, omnes homines P. C. qui de rebus magnis consultãt: ab odio, amicitia, ira, atq; misericordia uacuos esse decet. Lib. 1. rhet. c. 1

De hac re, quam examinandam proposuimus, longam conficerem disputationem, si omnia quæ possem, in mediũ proferre uelẽ: ea itaq; solũ dicã, quæ ad rem proxime faciunt: plura qui uolet eos consulat, quos nunc citabo auctores. Legendus est Aristoteles in ethicis, libro sexto, et ibidem eius expositores: Cicero in Tusculana quarta: Lactãtius Firmianus lib. sexto Cap. 14. 15. 16. & 19.

suarum

ſuarum inſtitutionum, capite decimoquarto, & ſequentibus, & in Epitomis; Auguſtinus in nono, et decimoquarto libro de Ciuitate, vt diuum Thomam in prima ſecundæ partis, & alios Theologos, philoſophoſque omittam. Quod ad opiniones attinet, hæ fuerunt in re propoſita ſententię.

Prima Stoicorum, quam apud citatos auctores explicatam et confutatam inuenies; qui affirmarunt, omnes animi perturbationes, quas πάθη, hoc eſt, ſi uerbum uerbo reddere uelles, morbos, ut Cicero ait, apellabant, eſſe malas, & idcirco omnino tollendas, atque ex animo euellendas eſſe exiſtimabant;
Macr. li. 1. ſat. c. 8 *eaſque in hominem ſapientem atque perfectum cadere minime poſſe dicebant. Affectus omnes, inquit Lactantius, quorum impulſu animus commo-*
Lact. ca. 15. *uetur, ex homine tollunt, cupiditatem, letitiam, &c. & infra. Eodem modo, hæc quattuor morbos, ut dixi, uocant; non tam natura inſitos, quam praua opinione ſuſceptos. Et idcirco eos cenſent extirpari poſſe radicitus, ſi bonorum, malorumque opinio falſa tollatur. Verum, cum iſti uiderent hos affectus, etiam in ſapiente penitus reſecari non poſſe, eos quaſi in aliam naturam eſſent cõuerſi, aliјs appellabant nominibus: & ita pro cupiditate, voluntatem, pro*
D. Tho. 2.2. q. 24 ar. 2. Bart. Med. *lætitia, gaudium, pro metu, cautionem, dicebant; pro quarto, immutandi nominis ratio defecit; unde pro eo nihil repoſuerunt: non res itaque, ſed uerbũ defuit, Ex quibus colligeres, cur aliqui Stoicos in bonam ſententiam trahant, & cum Peripateticis*

con-

concilient: quod ſolum eas perturbationes malas eſſe dixerint, quæ cum ſint maiores, rationis terminos transgrediuntur. Nec defuerunt inſani quidam homines, ut Clemens Alexandrinus refert, qui exiſtimarunt humanos affectus eſſe quoſdam dęmones hominum mentibus ingenitos, ut capilli innati ſunt capiti. Extiterunt etiam alij, qui omnes animę ſentientis appetitiones motuſque malos eſſe male exiſtimarunt.

Secunda ſententia Peripateticorum & Theologorum omnium, aſſerentium humanos affectus, ſi fuerint moderati, & recta cum ratione conſenſerint, non eſſe malos, contra vero, ſi ab ea receſſerint. Dicunt prę̨terea Peripatetici, ideo a Deo, uel a natura nobis datos eſſe, vt eis ad bonum conſequendum, & ad malum fugiendum, quaſi quibuſdam præſidijs vtamur: quam doctrinam quidam parum eruditi homines, male impugnare conantur. S. Diad. Baſil. or. contra iraſcent. Amb. li. 2. de fide cap. 3. Philel.

Ad huius diſputationis explicationem, cum longius philoſophari ac theologari nolim, nulla fundamenta ponam, ac proinde ad ipſas poſitiones accedo, quibus quid in re propoſita tenendum ſit, perſpicue docebo.

Prima poſitio, affectus in genere naturæ, hoc eſt, vt res quædam ſunt, non ſunt mali. Quoniam affectus inſiti & ingenerati ſunt admirabili Dei prouidentia, ut ait Firmianus: at a Deo auctore optimo nihil poteſt proficiſci mali; cum in diuinis literis legamus, vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant Cic, pro Muræn. Lact. ca. 15. Gen. 1.

valde

valde bona, optima igitur: Quod si ex citato auctore peteres, cur nostræ naturæ insiti sint, diceret, virtutis ergo, quæ sine affectibus, aut nulla erit, aut in usu esse non poterit, si desint ea, per quæ uis eius aut apparet, aut constat. Et Augustinus, quandiu hanc vitam mortalem uiuimus, si non habemus animi passionem, non recte uiuimus. Datus est itaque dolor vt turpitudinem detestemur: metus, vt malum fugiamus, desiderium, ut bonum expetamus: & uoluptas, vt in eo conquiescamus. Ideo præclare de viro bono dixit Horatius,

Lib. 2. ode 10.

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus.

Arist. li. 3. Eth. c. 8.

Ac etiam sapienter Homerus aiebat, Virtutem, ira erigendam esse, uirtutique immittendum esse furorẽ tunc nimirum cum aliquid ex deliberatione agendũ esse cognitum fuerit: tunc enim excitantur affectus, ut ad bene agendum commoueant. Et ut cum Platone concludam, Sunt humanæ affectiones veluti nerui, & musculi ad contrarias actiones trahentes & retrahentes. Vt enim sunt nerui quidam in brachio ad eius dilatationem, & alij ad eius contractionem; ita in anima nostra sunt uariæ affectiones, aliæ ad has, aliæ ad alias operationes institutæ: & omnes si modum seruent, suo tempore & loco, sunt utiles: & ita non sunt totaliter extirpandæ, sed ad mediocritatem reuocandæ.

Lib. 1. de leg.

Secunda positio, affectus in genere moris, ex se, nõ

sunt

sunt nec boni, nec mali. Doctrina est certissima omniũ meliorũ philosophorũ; quã cõmunis Theologorũ cõfirmat auctoritas. Quare, si cupiditas ui sua feratur in bonũ, et timor refugiat malũ, nullũ committitur peccatũ; sed tũc, cũ præter rationis imperiũ homo sciens et uolẽs aliquid ꝓpter affectũ prosequitur, aut refugit. Tunc itaq; humani affectus rationẽ uirtutis, aut uitij suscipiũt, cũ rationẽ sequũtur, aut ei reluctãtur. Quare, tunc peccamus, cũ ei cõsentimus appetitioni, qua preter rationis imperiũ aliquid efficimus: quo fit, ut ipsa appetitio, ex se, non sit nec bona, nec mala in genere morũ. Lege quæ hac de re in suis epitomis disputat Lactantius. Errant igitur grauiter, qui omnes appetitiones malas, & quasi quosdam dæmones esse docent: Cap. 4.

Tertia positio, affectus in genere moris possunt esse boni & mali. Boni erunt, si cum ratione suscipiantur, aut ponãtur; mali si a ratione dissentient. Hinc est quod in diuinis oraculis, ira ut mala aliquãdo dãnatur, aliquãdo minime; ut cũ dicitur, Irascimini, & nolite peccare: et quod de uno dicitur affectu, de alijs intelligendũ est. Quarta positio, probabile est, Stoicos eos solũ affectus morbos uocasse, et euellẽdos esse putasse, qui cum sint maiores, rationẽ perturbant, & a sua sede dimouent, atque a recto auocant. Primum, quia ita uiri eruditi eorum sententiam intelligendã esse tradunt: & non est credibile viros alias doctos, Stoicos intelligo, omnẽ hominũ sensum ab hominibus auferre uoluisse. Deinde, idẽ cõfirmari potest ex ea definitione, qua animi morbos descripserũt, quã supra-

Psal. 5.

Galen. tract. de corat. affect.

Aug. D.Tho.

Lib. 2. offic. *attulimus, & ex Cicerone qui hac in parte Stoicis non aduersatur, cum ait, Perturbationes, id est motus animi rationi non obtemperantes. Verum, siue ita senserint, siue non, certum est in modo loquendi eos multum diffidere.*

Quincta positio, si Stoici omnes animi affectus malos esse, & eradicandos esse existimarunt, longissime a veritate recesserunt. Stoici ergo furiosi, inquit Lactantius, qui ea non temperant, sed abscindunt, rebusque a natura insitis castrare hominem quodam modo volunt. Quod tale est, quale si uelint aut metum detrahere ceruis, aut uenenum anguibus, aut iram feris, aut placiditatem pecudibus. Nam quę singula mutis animalibus data sunt, ea uero uniuersa homini. Quod si, ut medici dicunt, letitiæ affectus in splene est, irę in felle, libidinis in iecore: timoris in corde; facilius est interficere animal ipsū, quam ex corpore aliquid euellere; quod est animantis naturam uelle mutare. Abijciatur igitur opinio ista, quę hominem sentientem sensu spoliare, & stipitem facere uult: cum qui nullo commouentur affectu, potius omnem humanitatem amisisse, quam tranquillitatem possidere uideantur.

Arist. li. 3. eth. c. 8. *Sexta positio, errant qui Peripateticos reprehendunt, quod dicant, perturbationes esse temperandas, & nobis datas esse quasi incitamenta quædam ad operationes exercendas. Quod huiusmodi affectiones sint ueluti stimuli, ut ira ad coercendam audaciam, & cupiditas ad prosequenda quæ sunt*

uitę

vitæ neceßaria, disertis uerbis in suis epitomis docet Firmianus. Quod autem sint cohibendi, ne rationis fines transiliant, neue rationem a recto itinere abducant, prudens negare nemo. Cap.4.

Septima positio, desiderandum esset, vt homines magis ratione, quam affectibus ad aliquid agendum mouerentur. Quoniam, cum quis sola ratione ducitur, minus est aptus ad errandum, quam cum affectus commotos habet; quorum uim non est facile cohibere, aut certum in eis modum retinere: & magis laudabile est id, quod sua sponte, & rationis consilio quispiam facit, quam quod extrinsecus excitatus, & perturbatione aliqua pulsus efficit.

Octaua positio, animos auditorum affectibus ad bonum amplectendum, & ad malum uitandum commouere, nullo modo est vituperandum, aut, uniuerse loquendo, damnandum. Id affirmauerim contra quosdam de quibus his uerbis meminit in primo sermone de Oratore Antonius. Qui partim omnino motus negant in animis ullos eße debere; quique eos qui in mentibus iudicum concitent, scelus eos aiunt nefarium facere. Primum hanc doctrinam confirmare licet communi Rhetorum sententia, ut omittã multa eorum loca, quæ priuatim afferre poßem. Et quod Rhetores facere licere docent, Oratores re ipsa in suis orationibus præstant. Quod non solum intelligi uolo de profanis, sed etiam de sacris, ut de Gregorio theologo, de Chrysostomo, de Cypriano, & aliis sexcentis, ac etiam de diuinis, ut de Isaia,

Ezechiele,

Ezechiele, Paulo, & multis alijs, qui grauissimis amplificationibus, non modo ad ipsos affectus ciendos, sed etiam ad uiscera commouenda utuntur: & qui de Concionatore Christiano scribunt, hoc unum priuate in eo efflagitant, & ad hoc præstandum multis præceptis instituunt, ut nos etiam libro quarto de Oratore diuino fecimus: immo eum qui amplificare nescit, ad hoc munus ineptum putant: at amplificatio tota ad affectus ciendos est comparata: igitur. Deinde, animi commotiones, vt demonstrauimus, non sunt ex se malæ, & si in honestum flectantur, aut a turpitudine reuocentur, fiunt bonæ: eas igitur dicendo excitare, aut sedare licebit. Quare, sicuti perniciosum atque turpe est contra ueritatem & iustitiam motus facere, ita utile atque honestum erit ad honestum iudicium ferendum auditores per affectuum tractationem commouere. Præterea certum est, idque experientia demonstrat, quemque ut affectus est, ita de rebus iudicare, & ut plurimum suos affectus tanquam iudices ad agendum adhibere, atque id optimum existimare, quod uehementius amat; id uero perniciosum, quod odit; cum tamen plerunque aliter sit iudicandum: quandoquidem cum affectibus sæpe temeritas & ignorantia sunt coniuncta: & ita uoluptuarius homo uoluptatem, ambitiosus honorem, auarus diuitias, & iracundus uindictã approbat: quo fit, ut plura affectibus, ut amore, odio, cupiditate, iracundia, dolore, lætitia, alijsque animi permotionibus, quam ratione, aut legum præscripto homi-

Aug. li. 4. de doctr. c. 11
Lud. Gran.
Aug. Valer. lib. 2

hominés iudicent: Ideoque Aristoteles in politicis scriptum reliquit, Eum qui vult legem præesse, Deum, idest rationem, præesse vult; qui uero hominem adiungit, bestiam, adiungere; quod homines, bestiarum more, interdum perturbationibus moueantur, & ex illis iudicent. Quare has animi commotiones, quibus mentis acies perstringitur, sedare, & concitare licebit; quod fieri non potest, nisi per affectuum tractationem, qua, aut concitati motus sedentur, aut in contrarium affectum conuertantur. Et ut congruum est inflexam regulam dirigere; ita etiam par erit animos in suum statum reuocare, & in bonum affectum traducere: & ut linguam, quæ cum sit mala affecta dulcia iudicat amara, & amara dulcia, purgare licet; ita male affectos animos, ut recte iudicent, purgare licebit. Denique, ne rem manifestam pluribus confirmem, si hoc officium Oratori detraxeris, eum facultate amplificandi priuabis; cum, vt dicebam, in hunc finem amplificatio sit comparata: qua si priuetur Orator, siccus, & ieiunus, sine succo, & sanguine remanebit. Lib. 3. cap. 12.

Nona positio, non modo Oratori affectus mouere licet, sed etiam id omnino efficere debet, si suas partes velit explere: ita vt perfectus Orator numerari non debeat, qui dicendo, cum opus est, animos commouere nequit. Doctrina est manifesta; quia, ut supra demonstrauimus, hoc est vnum e tribus Oratoris muneribus, & fortasse

magis proprium, atque præcipuum. Ideo M. Tullius, de claris oratoribus agens, cum M. Calidium mirifice commendasset, quod duo summe tenuerit, ut & rem illustraret disserendo, & animos eorum qui audirent deuinciret uoluptate; addidit, Aberat tertia illa laus, qua permoueret atque incitaret animos, quam plurimum pollere diximus: Cui assentiendo Brutus, hæc dixit, Quis enim non fateatur, cum ex omnibus Oratoris laudibus longe ista sit maxima inflammare animos audientium, & quocunque res postulat, flectere; qui hac uirtute caruerit, id ei, quod maximum fuerit, defuisse? Ideo, inquit Augustinus rhetor insignis, uistorię est flectere, quia fieri potest vt doceatur, & delectetur, et non assentiatur.

Lib. 4. de doct. Chr. ca. 12. *Quid autem illa duo proderunt, si desit hoc tertium? Non satis itaque est Oratori docere, ut instruat, & delectare, ut teneat, sed etiam necesse est flectere, ut*

Cap. 13. *uincat. Et vt cum eodem concludam. Incumbat Orator, hoc opus eius, hic labor est: sine quo cætera nuda, ieiuna, infirma, ingrata sunt: adeo ueluti Spiritus operis huius atque animus est in affectibus.*

L. 6. c. 2. *Qui uero, inquit Fabius, iudicem rapere, & in quem vellet habitum animi posset perducere, quo pacto flendum & irascendum esset, rarus fuit. Atque hoc est quod dominatur in iudicijs: hæc eloquentiam regunt. Nanque argumenta plerumque nascuntur ex caussa, & pro meliore parte plura sunt semper: vt qui per hæc uicit, tantum non sibi defuisse aduocatum sciat. Vbi vero animis iudicum uis afferenda est,*

est, & ab ipsa ueri contemplatione abducenda mens, ibi proprium Oratoris opus est. Argumenta in contrariam partem allata ita solueres.

Ad primum, illa definitio, ut ab homine Stoico tradita, est mala: ac proinde inepta ad aliquid recte concludendum: aliam bonam nos statim afferemus: Quam tamen approbare liceret, si eos solum uocabāt affectus, qui a recta ratione nos auocant.

Ad secundum, damnauit Aristoteles antiquos dicendi Magistros, non quod de affectibus mouendis scripserint, cum idem ipse fecerint, aut eos permouendos putauerint, sed quod nihil de enthymematibus docuerint, & quod facultate permouendorum animorum abuterentur, permouendo affectus, & rei ueritatem rationibus non demonstrarent.

Ad tertium, quando animi motus est rectus & ad iustitiam seruandam inflexus, mens est magis idonea ad honestatem, aut uidendam, aut statuendam. Tunc itaque perturbationes iudicium corrumpunt, cum rectæ rationis usum impediunt, & cum malæ sunt: quas bonus Orator excitare non debet, ne sua facultate ad communem utilitatem inuenta abutatur: de quo non bene gloriatus est Tullius.

Ad quartum, hoc argumentum facile ex allata soluitur doctrina: ex se enim, nec bonę, nec malæ sunt; sed bonæ erunt, si temperatę & rationi consentaneę fuerint.

Ad postremum, quod aliquę ciuitates affectuum permotionem prohibuerint, non est mirum; cum ma

li Oratores, hoc ſuæ artis abuterentur munere: quam ob cauſſam etiam ars ipſa aliquando reiecta fuit. Et in Areopago, ideo non licebat extra cauſſam dicere, aut rem ad animos permouendos amplificare, quod ibi apud viros doctos & de rebus ad genus deliberatiuum pertinentibus ageretur: vbi minus animorum permotione opus eſt: quare apud ſapientes argumentis potiſſimum decertandum eſt.

Sed hic obijceret quiſpiam homo qui eſt rationis capax, ſola ratione ad aliquid agendum perducendus eſt; cum agere ex affectu & perturbatione ſit brutorum proprium: quare contra hominis naturam facere uidentur, qui eum, tanquam animal rationis expers, per ſolos affectus ad aſſentiendum, agendum ue trahunt. Hanc obiectionem hunc in modum dilueres. Primum, adhibentur affectus ut magis commoueatur ratio, & vt re ipſa homines velint, quod alias tanquam bonum approbarent, ſed non amplecterentur: Ideo aliquando Ouidius dixit,

Video meliora proboque,
Deteriora ſequor.

Deinde, cum Orator apud rudem populum agat, qui non tam rationum momenta percipit, quam motu?, facilius per motum eum ad honeſtum utilitatemque perducit, quam ſi ſola uteretur ratione. Denique, negamus non conuenire homini agere ex affectu a ratione pendente.

Quid

Quid & quotuplex sit affectus, & quod affectuum cognitio Oratori sit necessaria. Disput. 3.



N secundo de Inuentione libro late de natura, caussis, effectibus numeroque humanorum affectuum disseruimus; quæ omnia cognoscenda sunt ei, qui apte & efficaciter eos commouere uoluerit. In præsentia igitur solum breuiter affectus uniuerse, & quosdam maiores priuate numerabimus, ac describemus, ut qua ratione concitandi sint, quod nunc agimus, doceamus. Vt autem ea quam allaturus sum motus descriptio melius intelligatur, animaduertendum est, in nobis duas esse partes quibus ad aliquid agendum mouemur; unam rationis compotem, quæ omnia consilio & rationum momẽtis quasi trutina & statera perpendit: alteram rationis expertem, quæ affectibus trahitur: illa est nobis propria, hæc est cum brutis communis: illa est animæ intelligentis uis quædam diuina, & immortalis, hæc vero animæ sentientis facultas, quæ in corpore corruptioni obnoxio residet. Et quidem ꝑturbationes in hac parte proprie esse cẽsentur: quæ pars diuiditur ĩ duas, quarũ una cõcupiscimus, altera irascimur: illa ferimur in bonum sine difficultate propositũ, hac uero in bonum arduum. Quo fit, ut omnis perturbatio sit in parte sentiente, uel in ea qua concupiscimus, vel in ea, qua irascimur. Hæc ergo pars quæ Arist. 1. eth. c. vl.

ratione caret est varijs affectibus obnoxia: quam etiā solenus uarijs uirtutibus armare, ut contra perturbationes simus muniti. Affectus, aliorum missis definitionibus, ad hunc modum describi potest, Affectus est appetitus sentiētis animæ immutatio, ex alicuius rei bonæ, uel malę specie procreata. Efficitur itaque affectus omnis a specie obiecta rei bonæ, uel malæ, uel præsentis, uel futurę, acquisitu facilis, uel difficilis: & quidem tribus modis; uel cum in eam propendimus, uel cum prosequimur, uel cum iam adepti sumus. Ex quibus colligere licet, affectuum, qui undecim numero esse dicuntur, sex eße in parte qua concupiscimus, reliquos in ea qua irrascimur. In illa circa bonum cognitum per propensionem, est amor: per prosequutionem in bonum absens, est desiderium per consequutionem in bonum presens, delectatio. In eadem parte circa malum sunt tres contrarij affectus, odium, fuga, tristitia. In hac, circa bonum cognitum quod acquiri possit, est spes, si acquiri nequeat, desperatio: circa malum imminens, quod vires excedit, est timor; circa idem, si uires non excedit, audacia. Ratione boni adepti, in hac parte nulla est affectio, cum non adsit difficultas: at uero circa malum quod adest, est ira. Tullius autem, Tus. 3. & 4. & in Part. *quem omnes fere Rhetores hac in parte sequuntur, his uerbis perturbationes diuisit. Partes autem perturbationum ex duobus opinatis bonis & malis nasci volunt, & ideo esse quattuor: Ex bonis, libidinem & lętitiam, vt lætitia sit pręsentium bonorum,*

rum, libido futurorum: Ex malis metum, & ægritudinem nasci censent: metum, ex futuris, ægritudinem ex præsentibus. Atque hæ plures complectuntur partes; vt lætitia, delectationem, iactationem, maleuolentiam quę ex alieno malo lætatur, et si quæ sunt harum similes. Libido iram, excandescentiam, odium inimicitiam, desiderium, discordiam, & alias huiusmodi: Metus, pigritiam, pudorem, terrorem, timorem, pauorem, exanimationem, formidinem. Aegritudo, inuidentiam, æmulationem, obtrectationem, misericordiam, angorem, luctum, mærorem, ærumnam, dolorem, lamentationem, solicitudinem, molestiam, afflictationem, desperationem, & eiusdem generis alias, si quæ sunt. Et quoniam nimis longum facerem, si vellem singulas definire, & earum discrimina assignare satis erit, si nonnullas, maiores nimirum & frequentiores, breuiter descripsero. Amor, ut finiunt Stoici, est conatus amicitię faciendæ ex pulchritudinis specie. Vel, est propensio eius qui appetit in rem tanquam bonam & sibi conuenientem cognitam. Odium, a quibusdam hoc pacto describitur, Odium est ira inueterata: uel dicas; Odium est auersio a re quæ ut naturę repugnans & dißentanea est percepta. In eo differt odium ab ira, quod odium potest eße in uniuersos, ira uero est in singulos. Cupiditas, siue libido, ex Tullio, est opinio uenturi boni, quod sit ex usu iam præsens esse, atque adesse: uel est, rei iucundæ appetitus; uel appetitus animæ sentientis ex amore boni, ut delectabi Cic. Tus 4. Cic. Tus 3. Idẽ eod. loco. Tus. 4.

lis cogniti enata permotio. Voluptas, siue delectatio & lætitia, Est opinio recens boni præsentis, in quo efferri rectum esse uidetur: sed melius cũ Aristotele diceres, Delectatio est motus quidam animi, & affectio tota simul, & sensibiliter in naturam proficiscens: hoc est, & sentientis rei motus, siue affectio, tota simul, hoc est perfecta, quæ non in fieri, sed in facto esse, ut loquuntur Philosophi, consistit, qua rei sentientis natura recreatur ac perficitur. Dolor, siue tristitia et ægritudo, Est opinio recens præsentis mali, in quo demitti, contrahique animum rectum esse uideatur: uel, est perpessio nata ex præsentia rei cognitæ ut malæ. Spes, ut Tullius finiuit, est expectatio boni: uel, Est appetitus irascentis affectio, ex opinione boni futuri ardui, quod acquiri possit procreata. Metus vero ex eodem, est opinio, siue diffidentia expectati & impendentis mali, quod intollerabile uidetur: uel cum Aristotele, Est ægritudo quædam ex opinione futuri mali, quod interitum, aut dolorem afferre possit; vel, est motus irascentis appetitus ex mali futuri difficilis opinione natus. Audacia, siue fidentia, est firma fiducia breui assequendi aliquid salutare, ijs quæ terrorem faciunt remotis, aut longe existentibus: uel est appetitus irascentis affectus, qui ob spem uincendi aggreditur malum ob uictoriam supra ipsum. Ira ex Aristotele, est cupiditas quædam cum dolore coniuncta, eius puniendi de quo pęna sumi poße videatur, propterea quod

Lib. x. eth.

Lib. de Inu.

uisus

visus est contempsisse, in ijs, quæ in nos, aut in no-
strorum aliquem, contra ac decet, admisit: vel, ira
est perturbatio nata ex opinione vindictæ possibi-
lis in eum qui iniuria affecit, aut malum intulit: Tus. 4.
vel cum Cicerone, Est libido puniendi eum qui 3.
videtur læsisse iniuria: vel breuis, vlciscendi libi- Orat. 4.
do, aut puniendi doloris. Cui contraria est cle-
mentia, siue lenitas, quæ est moderatio concitati
animi, & sedatio iræ. Pudor, seu uerecundia est
quædam ægritudo, perturbatioque animi ex eis ma-
lis, quæ ignominiam ac dedecus afferre uidentur;
cum aut sunt, aut fuerunt, aut futura sunt, me-
tus nimirum quidam dedecoris & infamiæ. Mise-
ricordia, est dolor quidam ortus ex malo conspicuo
alicuius indigne patientis, quod interitum, vel do-
lorem affert; dum is qui miseretur, se quoque, aut
aliquem ex suis perpeti posse, quia propinquum
videtur, existimat. Vel cum Tullio dicas, Mise- Tus. 4.
ricordia, est ægritudo ex miseria alterius iniuria
laborantis. Indignatio, est ægritudo, siue affe-
ctio, quæ oritur ex eo, quod quis uideat indignos
rebus secundis potiri. Inuidia, siue inuidentia
est ægritudo ex alterius rebus secundis: Inui- Tus. 4.
dentiam, ait Tullius, esse dicunt ægritudinem su-
sceptam propter alterius res secundas, quæ nihil
noceant inuidenti. Hi duo affectus oriuntur ex re-
bus secundis, quibus alij potiuntur, etiamsi affe-
cto nihil noceant: sed qui indignatur, ideo afficitur,
quod indignis bona contingant; qui gauderet, si digni

ea

ea consequerentur. At uero inuidus ideo tristatur, q̃ pares et similes sui ea adipiscantur, qui lætaretur si mala eis contingerent. Denique, ne plures affectiones, hoc loco describam, Aemulatio, est ægritudo siue dolor quiddam ex laudatis bonis, quæ in nobis paribus & similibus sunt, quibus nos quoque potiri possumus, quod nobis desint, susceptus. Ex bono itaque alieno oritur ęmulatio; qua qui afficitur, talis fieri studet, ut possit ea bona consequi, quæ in sui similibus esse uidet. Quo fit, ut æmulatio sit bonus bonorum hominum affectus, ut inuidia, malus malorum: de qua ita scribit Cicero, Aemulatio autem dupliciter illa quidem dicitur, ut & in laude, & in vitio nomen hoc sit. Nam, & imitatio uirtutis æmulatio dicitur; sed ea nihil hoc loco utimur; est enim laudis. Et æmulatio est ægritudo, si eo quod quis concupierit, alius potiatur, ipse careat. Atque has affectiones quæ sunt maiores & usu frequentiores decripsisse sufficiat, quarundam aliarum finitiones, qui uoluerit, Tullium legat. Rursus, ab omnibus dicendi Magistris omnes animi affectiones in duas distribuũtur partes; in affectus leniores, et maiores, quam diuisionem late sequenti disputatione explanabimus. Denique, ut hanc etiam distinctionem, quæ ad rem nostram facit, afferamus, affectus duplex est, alter primus; vt est illa prima perturbatio, qua hominum animi uel inuiti mouentur, atque hic primus motus a uoluntate non pendet, & idcirco eum facile ciet Orator; cum non moueri, in nostra non sit potestate.

Tus. 4.

Lul. lib. 1. de ora.

te. Nam, ut Flaccus ait, In poet.

Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus.

Alter dicitur secundus, qui a uoluntate & indicio pendet; quo sit, ut animus cum uoluntatis & indi- cij aßensus est perturbatus, impotens euadat, & nō quia opportet commoueatur, sed ratione relicta, so- la appetitione ducatur: uerum hic motus, ut a uo- luntate pendet, ita ab eadem remoueri potest. Qua- re, ut non est in nostra potestate non commoueri omnino; ita in nobis est, ut commotionem iam ex- citatam deponere possimus: quam qui non reijciunt, ita afficiuntur, ut alij esse uideantur; ut merito Te- rentianus Parmeno de amore loquens, exclama- uerit,

Dij boni, quid hoc morbi est, adeon' homines im-
mutarier
Ex amore, ut non cognoscas eundem esse? hoc ne-
mo fuit,
Minus ineptus, magis seuerus quisque nec ma-
gis continens.

His, quæ de perturbationum natura, numero, & di- uisione diximus, quasdam abijcio positiones.

Prima positio, dicendi Magistro necessaria est Plat. in
aliqua motuum animi notitia. Quoniam ad ipsum Phœd.
pertinet explicare hoc tertium Oratoris munus, & rationem permouendorum affectuum manifestare: quod certe is facere non poterit, qui hanc cogni-

tionem

tionem non habuerit. Hanc positionem confirmant ea, quæ disputatione prima hoc libro docuimus.

Secunda positio, Oratori, & ei qui in caussis agendis versari uoluerit, neceßaria est affectuum cognitio. Primum, quia sine ea nunquam poterit apte, & idonee animos commouere, & hoc sibi maxime proprium munus sine errore exercere, si caussas, si vim, si effectus singularum perturbationum ignoret. Deinde, quoniam auditorum affectus cognoscere debet, vel an sint affecti, & quibus perturbationibus facilius commoueantur: quod sine hac doctrina præstare potest nemo. Postremo, quia varias personas suscipere debet; ut supplicem, imperiosam, timentem, inuidam, beneuolam, aut aliqua alia ratione affectam. In summa, quia postulamus, cohortamur, consolamur, obiurgamus, imprecamur, deprecamur, admiramur, miseremur, irridemus, miramur, gratulamur, concedimus, exprobramus, indignamur, optamus, exultamus, conquerimur, lamentamur, iuramus, dubitamus, denique interrogamus, atque exultamus.

Lul. li. 1 c. 37. *Tertia positio, de affectibus hæc potissimum ab Oratore cognoscenda sunt: quæ sit eorum natura, saltem rudi quadam ratione: quæ eorum caußæ, hoc est, quibus rebus efficiantur, & tollantur: qui eorundem effectus: qui illis afficiantur, & quas ob res, & erga quos: qui numerus, & denique quæ diuisiones. Quæ si quis cognoscere uoluerit, librum*

brum secundum de Oratoria Inuentione legat: nec non etiam quæ libro de Dispositione oratoria scripsimus.

De lenioribus animi affectibus.

Disp. 4.



VONIAM *vero illam affectuum diuisionem in leniores & concitatiores, Rhetor explicare, & Orator ad vsum accommodare omnino debet; propterea de ea priuatim nobis agendum esse existimauimus.* Cic.li.2. offic. *Græci itaque dicendi magistri, quos Latini sequuti sunt, humanos affectus in ἤθη, & πάθη,* Lib. 6. c. 2. *diuiserunt, de qua diuisione hęc scribit Fabius, Horum autem, sicut antiquitus traditum accepimus, duæ sunt species: alteram Gręci pathos vocant, quam nos uertentes recte ac proprie, affectum, dicimus: alteram ithos, cuius nomine, ut* Arist. li. 2. eth. *ego quidem sentio, caret sermo Romanus: atque inde pars quoque illa philosophię ἠθικὴ, idest moralis est dicta. Sed ipsam rei naturam spectanti mihi, non tam mores significari uidentur, quam morum quędam proprietas: nam ipsis quidem omnes habitus mentis continentur. Idem, de horum affectuum differentia aliorum sententiam referendo, hęc subiecit, Affectus igitur hos*

hos concitatos, illos mites, atque compositos esse dixerunt; in altero uehementer commotos, in altero lenes: denique hos imperare, illos persuadere; hos ad beneuolentiã præualere verbũ illud, πάθος, quod Fabius proprie affectum dici posse existimauit, Cicero, perturbationes uertit. Sic enim aliquando scripsit, quæ Græci pati uocant, nobis perturbationes appellari magis placet, quam morbos. Alij hanc eandem diuisionem hoc modo exponunt: Affectuum alij lenes & mites, & hi uocantur mores; alij uehementes & concitati, & hi uocantur pathi, & perturbationes. Nos primum de mitioribus, tum de uehementioribus agemus: & quæ tradenda sunt ad quasdam positiones reuocabimus.

Tusc. 4.

Prima positio, affectus optime distinguuntur, ac distinguendi sunt, in mores & perturbationes, siue in leniores, & concitatiores. Quoniam, ut communem omittam doctrinam, sunt inter se ualde diuersi, & de eis diuersa tradenda est doctrina, cum eorum omnino diuersus sit usus: igitur congruenter distinguntur, ac etiam seorsim explicantur, ut Cicero, Fabius, & alij facere.

Secunda positio, mores non sunt idem quod perturbationes. Patet hæc positio ex illis uerbis paullo ante ex Fabio citatis: quam nunc planius explicabimus & confirmabimus, docendo quid nomine morum intelligendum sit. Morum nomine continetur, indoles & ingenium, tanquam hominum proprietates, quæ sequenda probent, & fugienda damnent; uel

Plutar.

uel ut alij uolunt, mores sunt affectiones & qualitates illius partis animi, quæ est rationis expers: quæ ita animum informant, ut nec ratione turbidus motus extinguatur: quę a moribus promanant, & actiones antecedunt: quæ intelligentiæ, uoluntatis, sensusque significationem præbent, ut quæ certum ambiguumque animum designant: quę nostra, uel aliorum studia, ingeniumque, sine maiori perturbatione, demonstrant: quę naturæ constitutionem, consuetudinem, habitus bonos, uel malos indicant; ut quæ simplicem, arrogantem, placidum, blandum, humanum, rusticum, auarum, timidum, & inconstantem aliquem esse ostendunt. Instituta uero, facta, & uita non sunt proprie mores, ex illis tamen apparet quales sint hominum mores. Cum itaque perferimus, ignoscimus, monemus, ueniam petimus aliaque præstamus, quibus animi sensusque sine maiore perturbatione significationem prębemus, hoc est affectiones illas quas descripsimus mitiores indicamus. Quarum significatio potest esse cum maiore & minore contentione, pro ratione personarũ, quę mores exprimunt, ut adnotauit Fabius; & ita pathos, cuius est concitare, in ἤθος, cuius est mitigare, transire potest; ut si uehemens reprehensio in placidam desineret cohortationem. Atque ex his, quid morum nomine designetur, satis intelligi posse arbitror; quid uero nomine perturbationis, postea docebo.

Tertia positio, morum alij boni, alij mali: alij naturam,

turam, alij consuetudinem, habitumue sequuntur: item alij sunt ętatum, vt puerorum, iuuenum, virorum, senum: alij sexuum, ut hominum, & fœminarum: alij conditionum, siue statuum, ut pauperum, diuitum, principum & subitorum: alij studiorum & artium; ut Philosophorum, Grammaticorum, militum, nautarum, & agricolarum: alij denique gentium, & locorum; ut Hispanorum, Germanorum, Italorum, Romanorum, & Atheniensium: qui vel in nobis, vel in alijs spectantur.

Quarta positio, Morum (quorum appellatione omnes affectus intelligo) indicandorum duplex est ratio: altera, quę sola expositione & quasi relatione sensus, habitusque animi nostri, vel alieni fit: altera quæ orationis contentione, perturbatione, sensuque vehementi, & fere cum aliqua perturbatione erumpit, & sępe sola pronuntiatione, quę elatio, seu allocutio dicitur. Rursus, prima duplex, altera quę relatione, & quasi testimonio dicentis fit; ut cum referimus dolorem, misericordiam, spem, & alios animi motus, aut sententiam & opinionem, uel nostram, quę proprie adiudicatio dicitur, gręce, Epicrisis; ut si diceres, Ita existimabam; uel alienam; ut si diceres, Ita uisum est senatui: & ut ille aiebat, Nos abijsse rati; & hęc est semper sermonis confirmatio: quos modos aliqui communi nomine, Designationes, gręce chresteriasmos vocant. Continent ergo designationes affectus, siue passiones & adiudicationes: quę, uel

dubie

dubie confirmant, ut ni fallor, mihi uidetur, uel certe; vt, ita est, ita dixit, et ego credo: quæ si caussam facti reddant, dicuntur Considerationes, græce logismi; si solum confirment, approbationes uocantur; ut ita ferunt, ita sentit Aristoteles. Altera uero dicitur designatio, & notatio, græce, Ethologia, qua personæ annexa, qualitates apertæ atq; notæ describuntur; cum moratas personas facimus, ut Regem, patrem, militem, seruum; quibus harum personarum proprietates tribuimus. Notantur autem mores patria, genere, ætate, fortuna, studijs, & relationibus quibusdam; vt seruitute, coniugio, & alijs, & interdum vnico tantum uerbo; vt, Puer, Fœmina, Græcus. Et quidem sæpissime designatio cum notatione coniuncta est; ut cum dicitur, Obstupuit, steteruntque comæ, & uox faucibus hæsit: in primo uerbo est designatio, in reliquis notatio. Elatio vero, siue allocutio, quam aliqui, pragmaticam notationem vocant, quod rei gerendæ caußa inducatur; vt, Vade voca Zephyros, consistit contētiosa, atque elata sententia, qua mores non ficte designantur. In summa, mores indicantur, uel contentione, uel sermone: contentionis nomine intelligo orationem excitam & affectam, quæ non sine laterum, uocis, animiq; longa atque continua intentione habetur: at uero sermonis appellatione, orationē quietam remissam, qua qui docent vti consueuere: quare, si contentio remittatur, & relaxetur, loquendo, interrogando, & respondendo, sermo fieret. Empor,

N Qui,

Qui, vel est theoricus, quo sola rei veritas quæritur: vel practicus, qui aliquid fieri, aut non fieri decernit.

Cic. *Quincta positio, leniores affectus tribus maxime rebus conciliantur; dignitate hominis, rebus gestis, existimatione uitæ. Natura nanque efficit, ut ijs beneuoli simus, qui veræ dignitatis honorem merito sunt consequuti, qui res præclaras, & alijs vtiles gessere, quique recte & honeste viuere existimantur. Quæ, si sint in eo cui beneuolentiam conciliamus, ornanda sunt oratione: si non fuerint, fingere, & aliqua veri similitudine colorare licebit: quod vt est difficile, ita non omnino ingenuum. Dignitatis exemplum habes in Syllana, Maxime vellem, iudices, &c. Rerum gestarum, in oratione ad populum, antequam iret in exilium: Existimationis in Diuinatione in Verrem. In epistolis etiam sæpissime obseruare licet morum leniorum significationem, & per eos comparatam conciliationem; ut in nona epistola libri primi, in secunda libri quincti, & alijs multis in locis; vt in exordio Archiano, & in oratione pro Murena, Me saucium recreauit, me preda donauit, &c. Rursus, sunt quædam alia quæ per morum significationem ad beneuolentiam conciliandam conferunt. Vocis lenitas quædam, qualem in Aeschine fuiße, in oratione pro Ctesiphonte testatur Demosthenes: Vultus index animi modesti non elatus, non impudens, & audax. Pudoris significatio, & in vultu, & in oratione;*

vt in Rosciana. Huc accedit summus timor, quem mihi natura, &c. Verborum comitas, & humana quædam suauitas; ut in Celiana, Sed ego Atracino humanissimo, atque optimo adolescenti meo necessario ignosco, &c. Et in decima Antoniana, Sed mihi P. C. necessitatem attulit plura dicendi, &c. Signa facilitatis, liberalitatis, mansuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non auidi; vt pro Murena, Ego autem has parteis lenitatis, & misericordiæ, quas me natura ipsa docuit, &c. Et in Miloniana, Nunc me vna Consolatio sustentat, quod tibi T. Anni, nullum a me amoris, &c. Contrarij mores beneuolentiam abalienant auditorum: quibus in inuidiam Neuium Erucium, & Albutium traxit Orator. Pro Sex. Ros.

Sexta positio, genus orationis, siue dicendi forma atque idea, in tractandis moribus, debet esse suauis, ita vt animi sensum afficiat. Suauitas autem spectatur in quodam genere sententiarum, in actione leni, & in facilitate significandi. Sententiæ, res sunt probabiles, pulchræ, plausibiles, quales de se quisque dici vellet; vt virtutis elogium: vt, Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putaui. Genus verborum debet eße plenum splendoris, signicans, emphaticum, venustum, auditu iucundum; quali in exornationibus vti solemus; in quo nulla arrogantia, nulla insolentia, nulla superbię suspicio, nulla significatio eius Streb.

amoris, qui philautia nominatur; vt in Diuinatione, Fortasse dices, quid? Ergo hæc in te sunt omnia? Vtinam quidem essent. Verumtamen, vt esse possent, magno studio mihi a pueritia est elaboratum. Huiusmodi verba actione leni pronuntiandæ sunt, actione videlicet demissa, modesta, suaui, quæ rebus & verbis respondeat, & moderatione vocis animos leniat. Accedat his significandi facilitas, id est dictio facilis, volubilis, & quodammodo currens; qua significetur humanitas, facilitasq; dicendi.

Fab. lib. 6. cap. 2.

Septima positio, quod attinet ad caussas in quibus mores significandi sunt, in omnibus caussis plus minus ue, hos vel illos mores significare oportet: & speciatim in illis, in quib. nõ agitur de re aliqua atroci, vbi maiores motus concitandi sunt: ut est caussa hæreditatis, tutelæ, seruitutis prædiorum, defensionis criminis, cum opus est sedare incitatos animos: quo pacto per leniores affectus Tullius Cæsaris animum in oratione pro Deiotaro lenire conatus est: & denique in caussis, in quibus minus potest, & debet inflammari auditoris animus; cum nõ ubiq; sint excitandæ tragœdiæ. Et, ut cum Fabio, de his affectibus mitioribus loquente concludam, In caussis etiam pluribus, immo secundum quendam intellectum in omnibus. Quo fit, ut non in sola commendatione & excusatione sint positi, ut aliqui uoluere.

Octaua

Octaua positio, mitiores affectus locum habent in exordijs in re narranda, & in caussa peroranda. Nam, cum duæ sint partes orationis ad mouendum comparatæ, exordium, & peroratio; in exordio sæpius conciliatur beneuolentia, in peroratione consumitur affectus: narratio vero, quia non solum docere, sed etiam afficere vult, & mereri fidem, interdum leniores affectus intercipit. Exemplum narrationis habes in oratione pro Sexto Roscio. Verum, etsi hi tres sint potissimi loci in quibus leniores ostenduntur affectus: tamen nulla est orationis pars, in qua hac dicendi lenitate vti non liceat. Atque ex dictis colligeres, ad quid conferant mores: valent ergo ad commendandum, ad conciliandum, ad vincendum, & ad bene dicendum.

Nam, ut ait Fabius, qui dum dicit, malus videtur, utique male dicit, non uidetur iusta dicere. Sed de lenioribus affectibus hucusque: sequitur ut de maioribus dicamus. Lib. 6. cap. 2.



De maioribus animi affectionibus. Disput. 5.



VONIAM leniores affectus, vel ipsam naturam, vel habitus iam acquisitos, & in naturam quodammodo mutatos sequuntur, ideo facile est eos excitare: at uero maiores perturbationes ciere uelle, aut omnino fieri non potest, aut non sine periculo tentatur: ita vt melius sit ab earum commotione abstinere.

Quod sit difficile, ex eo patet, quia non sunt in nostra potestate, siue de alienis, siue de nostris loquamur: at velle id tentare quod in nostra manu situm non est, omnino a ratione alienum esse videtur. Lib. 2. orat. Huc facit, quod Antonius apud Ciceronem ait, Non enim sicut argumentum, simulatque positum est, arripitur, alterumque, & tertium poscitur; ita misericordiam, aut inuidiam, aut iracundiam simul atque intuleris, possis commouere.

Deinde, ista maior perturbatio est violenta; quia extrinsecus cietur, non secus atque lapis sursum versus mouetur: ac, proinde, cum sit præter naturam, non erit idonea ad naturam commouendam: Est etiam ficta, cum in eo qui alienam caussã agit, aut audit, non possit verus esse dolor.

Quod sit periculosum velle dicendo tragœdias excitare, patet; quoniam, cum pauci sint qui moueant, & moueantur, frustra laboratur; & cum

non

non id efficiatur, quod magna contentione efficiendum suscipitur, magna fit existimationis iactura, & multum caussæ nocetur.

His tamen non obstantibus rationibus, affectus maiores commoueri posse, idque expedire, & interdum necessarium esse demonstrabimus; si prius eorum naturam explicauerimus, & quid a lenioribus differant, docuerimus.

Prima positio, affectus qui perturbatio nominatur, est longe diuersus ab eo, qui mos dicitur. Quid morum nomine intelligendum sit, supra plane explicuimus: & licet ex ijs quæ diximus, quid sit pathos intelligi possit; tamen nunc planius exponam. Perturbationis igitur appellatione intelliguntur maiores quædam affectiones, quibus mens tota commouetur, sensusque omnis perturbatur, & eius, qui afficitur natura a sua quodammodo sede deijcitur. Perturbatio itaque non solum naturæ constitutionem habitumue indicat; sed in contrarium affectum trahit, & mitem iracundum, humanum atrocem, miserentem crudelem facit; & in summa, non solum innatos affectus manifestat, sed nouos ingerit, aut iam insertos incendit, vel in contrariam partem rapit. At vero lenis oratio efficit vt probi, vt morati, vt boni viri esse videamur. Huic, autem ait Cicero, est illa dispar adiuncta ratio orationis, quæ aliquo genere mentes iudicum permouet, impellit; vt, aut oderint, aut diligant, aut inuideant, aut saluum velint, aut metuant, aut sperent, aut cu-

piant, aut abhorreant, aut lętentur, aut mœreant; aut misereantur, aut punire velint; aut ad eos motus adducantur, qui sibi finitimi sunt, & propinquis his ac talibus animi perturbationibus. Et alio loco, distinguens genus moratum a pathetico, ita
In orat. *scripsit, Duo sunt quæ bene tractata ab Oratore, admirabilem eloquentiam faciant. Quorum alterum Græci ἠθικὸν uocant, ad naturas, & ad mores, & ad omnem vitæ consuetudinem accommodatum: alterum, quod ijdem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi, & concitantur, in quo vno regnat oratio. Illud superius, come, iucundum, ad beneuolentiam conciliandam paratum: hoc uehemens, incensum, incitatum, quo causæ eripiuntur: quod cū rapide fertur, sustineri non potest. Denique, ut una cum Fabio breuiter utriusque differentiam designē, illud comędiæ, hoc est tragędiæ simile.*

Secunda positio, maiorum affectuum permotio non est omnino impossibilis, & orationis vi, genereque ipso dicendi fieri potest. Primum experientia ipsa hoc docet; & in alijs, quos ui orationis omnino permoueri uidemus, & in nobis ipsis, cum aliquam patheticam orationem audimus, aut legimus. Et ut illud de me dicam, nunquam lego aut pronuntio
Eclog. 1. *hæc Virgiliani Melibęi verba, quin commouear:*

Impius hęc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has segetes? En quo discordia ciues
Perduxit miseros? En queis conseuimus agros:
Insere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites:

Ite

Ite meæ quondam felix pecus, ite capellæ:
Non ego vos posthac viridi proiectus in antro,
Dumosa de rupe procul pendere uidebo:
Carmina nulla canam: non me pascente capellæ
Florentem cythisum & salices carpetis amaras.

Tanta est ergo orationis vis, ut non modo inclinantem erigere, stantem inclinare, sed etiam aduersantẽ & repugnantem tanquam imperator bonus ac fortis capere possit: ac proinde merito ab Ennio bono poeta, dicta est Flexanima, rerumq; omnium regina, & ab Euripide, tyrannus.

Præterea, si musicæ modi & numeri, qui nullam sententiam in animos inducunt, qui quasi mortui nullam significationem habent, & nihil aut atrox, aut iucundum ob oculos proponunt, sed solum sensum afficiunt, quo affecto, etiam animus afficitur, miris modis nostras mentes commouent, cur non idẽ, & quidem multo magis, modulata, uiua, sapiensq; efficiet oratio? Denique, si tragedia mouet histrionem, ita ut interdum eius oculi ardere uideantur: quanto magis caussa tristis Oratorem commouere poterit: cum caussa sit uera, tragedia autem ficta: Confer caussas, cum fabularum argumentis, iudicia cum ludis scenicis, amicorum pericula cum fortunis ignotorum, concursus hominum solicitorum cum soluto cõuentu, forum cum scena, existimationẽ magni uiri, hoc est Oratoris, cum existimatione histrionis leuissimi; eiusdem fidem, officium, diligentiam cum mercenaria pactione et ministerio quæstuario, et uidebis

an Orator dicendo longe facilius, quam histrio audientium affectus commouere possit. Quare, si histrio lugubria, sine dolore referre non potest, nec poeta triste carmen leni, & remisso animo scribere; quanto magis Orator in caußa non ficta, sed vera? Sed, ait Antonius, ut dixi, ne hoc in nobis mirum esse videatur, quid potest esse tam fictum, quam versus, quam scena, quam fabulæ? tamen in hoc genere sæpe ipse vidi, cum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur, spondalia illa dicentis,

Lib. 2. orat.

Segregare abs te ausus, aut sine illo Salamina ingredi,

Neque paternum aspectum es veritus?

nunquam illum aspectum dicebat, quin mihi Telamō iratus furere luctu videretur.

Tertia positio, quamuis animorum perturbationes vi orationis fieri possint: tamen non est omnino facile. Primum experientia ipsa hoc docet, cum pauci reperiantur, qui facile maiores affectus commoueant: nec mirum, cum in hoc vno, vt Cicero ait, regnet oratio, & eo nihil maius, auctore Fabio, vis orandi afferre possit. Nam cætera forsitan tenuis quoque & angusta ingenij vena, si modo vel doctrina, vel vsu sit adiuta, generare atque ad frugem aliquam perducere queat. Certe sunt, semperque fuerunt non parum multi, qui satis perite, quæ essent probationibus vtilia, reperirent: quos equidē non contemno, sed hactenus vtiles credo, ne quid

per

per eos iudici ſit ignotum: atque, vt dicam quod ſentio, dignos, a quibus cauſſas diſerti docerentur. Qui vero iudicem rapere, & in quem vellet habitũ animi poſſet perducere, quo dicto flendum & iraſcendum eſſet, rarius fuit. Atque hoc eſt quod dominatur in iudicijs, hæc eloquentiam regunt. Nanque argumenta plerunque naſcuntur ex cauſſa, & pro meliore parte plura ſunt ſemper: vt qui per hæc vicit, tantum non defuiſſe ſibi aduocatum ſciat, & quæ apud Fabium in hanc ſententiam ſequuntur.

Quarta poſitio, difficilius eſt in alijs, quam in ſeipſo affectus maiores concitare. Ipſa enim, ait Antonius, natura orationis eius quæ ſuſcipitur ad aliorum animos permouendos, oratorẽ ipſum magis etiam, quam quemquam eorum, qui audiunt, permouet. Suſcipit enim diligens acuratusque orator eam quam agit cauſſam tanquam ſuam, ac proinde, quaſi rem ſuam agens, facile commouetur. Lib. 2. orat.

Quincta poſitio, ratio permouendi affectus in alijs, aliquando eſt facilior, alias vero difficilior. Tunc eſt facilior, cum auditor ex ſe aliquo pacto eſt affectus, ita vt in eo, nõ tam ingenerandus, quam augendus ſit motus. Atque illud optandum eſt, Oratori, ait Antonius, vt aliquam permotionem animorum ſua ſponte ipſi afferant ad cauſſam Iudices, ad id, quod vtilitas oratoris feret accommodatam. Facilius eſt enim currentem, vt aiunt, incitare, quam commouere languentem. Et paullo infra, ſi Lib. 2. orat.

ſe

se dant, & ut ante dixi, sua sponte, quo impellimus inclinant atque propellunt; accipio quod datur, & ad id unde aliquis flatus ostenditur, uela do. Sin est integer, quietusq; iudex, plus est operis: sunt enim omnia excitanda, nihil adiuuante natura.

Sexta positio, ad maiores motus excitandos hæc conferre poßunt. Primum cognitio propensionum naturæq; iudicum & auditorũ. Sic equidem, ait Antonius, cum aggredior ancipitem caußam, & grauẽ ad animos iudicum pertractandos, omni mẽte in ea cogitatione curaq; uersor, ut odorer quã sagacissime possum, quid sentiãt, quid existiment, quid expectẽt, quid uelint, quo deduci oratione facile posse uideantur. Deinde, qui uult alios mouere, prius moueatur ipse. Lib. 2. orat. *Neq; enim fieri potest, ut doleat is qui audit, ut oderit, ut inuideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum misericordiamque deducatur, nisi omnes ij motus, quos Orator adhibere uolet iudici, in ipso oratore impressi esse, atque inusti uidebuntur. Neque enim facile est perficere, ut irascatur cui tu uelis iudex, si tu ipse id lente ferre uideare: neque ut oderit eum, quem tu uelis, nisi teipsum flagrantem odio ante uiderit: neque ad misericordiam adducetur, nisi ei tu signa doloris tui uerbis, sententijs, uoce, uultu, collacrymatione denique ostenderis.* Lib. 2. orat. *Vt enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ nisi admoto igni, ignem concipere possit: sic nulla mens est tam ad comprehendendum uim Oratoris parata, quæ possit incendi, nisi inflammatus ip-*

se

se ad eam & ardens accesseris, ut egregie disputat Antonius. An ille dolebit, inquit Fabius, qui audiet me, cum hoc dicam non dolentem? Irascetur, si nihil ipse, qui in iram concitat, idque exigit, simile patietur. Siccis agenti oculis lacrymas dabit? fieri non potest. Nec incendit nisi ignis, nec madescimus, nisi humore: nec res ulla dat alteri colorẽ, quem ipsa non habet. Summa itaque, ut idem ait, circa mouendos affectus in hoc sita est, ut moueamur ipsi. Nam, & luctus, & ira, & indignationis aliquando ridicula fuerit imitatio, si uerba uultumque tantum, nõ etiam animum accommodauerimus. Quid enim aliud est caussæ, ut lugentes utique in recenti dolore dissertissime quædam exclamare uideantur, & ira nonnunquam indoctis quoque eloquentiam faciat; quam quod illis inest uis mentis, & ueritas ipsa morum? Quare in ijs uerisimilia esse uolemus, simus ipsi similes eorum qui vere patiuntur, affectibus: & a tali animo proficiscatur oratio, qualem facere iudicem uolet, ait Fabius. Præterea, ut ex ijs quæ diximus colligere licet, ad internum animi motum, qui intus latet, accedere debet orationis genus concitatum, exaggeratur, ardens, & dinosis illa, quæ rebus indignis, asperis, inuidiosis uim addit: qua uirtute præter alios plurimum ualuit Demosthenes: & quod huc facit, quoddam actionis genus non remissum, non frigidum, sed contentiosum & inflammatum: tale, inquam, quod animi

Lib. 6. c. 2.

Fab. loc. cit.

Fab.



mi sensum intus latentem in lucem valeat proferre.

At dicet aliquis, quomodo fiet, vt afficiamur? Neque enim motus sunt in nostra potestate. Huic dubitationi ex Fabij doctrina breuiter satisfacere conabor. In eo qui apte, qui idonee, qui efficaciter maiores motus sit facturus, requiritur natura quædam non stupida, non hebes, sed quæ sentiat, quæ facile res quæ tractantur cogitatione comprehendat, & per phantasiam præsentes faciat, quasi eas oculis cerneret; quæ inquam earum magnitudinem attrocitatem, indignitatem, turpitudinemque videat: hæc qui bene perceperit, is erit in affectibus potentissimus. Lib. 6. c.2. *Hunc, ait Fabius, quidam dicunt euphantasioton, qui sibi res, voces, actus, secundum verum optime finget: quod quidem nobis volẽtibus facile continget. Nam, vt inter ocia animorũ, & spes inanes, & velut somniá quædam vigilantium, ita nos hæ de quibus loquimur imagines prosequuntur; vt peregrinari, nauigare, præliari, populos alloqui, diuitiarum quas non habemus usum videamur disponere: nec cogitare, sed facere: hoc animi vitium ad vtilitatem non transferemus? Ex multis exemplis, quæ in medium afferre possem, si longum facere vellem, vnum subijcio ex Cicerone* Lib. 1 *sumptum, in Verrem. Constituitur in foro Laodiceę spectaculum acerbum, & miserum, & graue toti Asiæ prouinciæ: grandis natu parens, adductus ad supplicium: ex altera parte filius: ille, quod*

pudi-

[library stamp]

pudicitiam liberorum: hic, quod vitam patris, & quæ sequuntur.

Conferet etiam ad commouendum ipsum oratorē, si non solum rei speciem sibi ob oculos proponet, ac si præsentem cerneret, sed etiam, si suam existimationem, officium, eius quem defendit fidem, aut auditorum vtilitatem penitus peruidebit. Denique, is poterit, uel ipsas feras mouere, qui in amplificando excellet; qua ui, qui caret, ab affectibus mouendis abstineat, aut dicendi munus deponat.

Verum, cum hoc unum officium Oratorem faciat admirabilem, cum in hoc uno regnet oratio, huc, ut Fabius ait, incumbat Orator, hoc opus eius, hic labor est: sine quo cætera nuda, ieiuna, infirma, ingrata sunt; adeo ueluti spiritus operis, huius atq; animus est in affectibus: qui quo pacto, & ubi, & quando permouendi sint, sequenti disputatione docebo.

Ad obiectiones initio factas nihil respondeo: siquidem soluuntur ex dictis.

Qua ratione maiores affectus commouendi sint. Disput. 6.

INTER *alia quæ affectuum maiorum commotionem difficilem reddunt, est modus; quem hac in parte seruare, ut in omni alia re gerenda, est difficile: propterea de ratione, qua Orator hoc munere fungi debeat, aliquid priuatim scribendum duxi: quæ autem*

tem de re proposita dicenda occurrunt, sequentibus potionibus perstringam.

Prima positio, qui maiores affectus (cum res ipsa, locus, tempusque postulat) non excitant, & satis se præstitiße putant, si docuerint, uehementer Cic. li.2 orat. *in dicendo errant. Quoniam non sunt omnia in argumentis, et magis interdum affectibus iudicum animus, quã doctis rationib. capitur. Probationes, ait Fabius, efficiunt sane, ut caußam nostram meliorem esse iudices putent: affectus præstant, ut etiam uelint: sed quia uolunt, credunt quoque.* In orat. *Erit igitur eloquens (hunc enim ut Cicero ait, auctore Antonio, quærimus) is, qui in foro causisque ciuilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat: probare necessitatis est, delectare suauitatis, flectere uictoriæ. Nam id unum ex omnibus ad obtinendas caussas potest plurimum. Magnam itaque laudem amittunt, qui motum omittunt, aut non congruenter ad mouendum dicunt.*

Secunda positio, qui cum mouere, & pathetico dicendi uti genere debent, non faciunt, uehementer caussæ nocent. Hoc, quod maxime notari uelim, illustri probare licet exemplo ex Cicerone sumpto. Tullius ergo libro de claris oratoribus, cum uehemẽter M. Calidij eloquentiam commendasset, hæc de eodem subiecit, Duo summe tenuit, ut & rem illustraret differendo, & animos eorum, qui audirent, deuinceret uoluptate: altera tertia illa laus, qua permoueret, & incitaret animos, quam plurimum pollere

lere diximus: nec erat vlla vis atque contentio. Et paullo infra. Quin etiam memini, cum in accusatione sua Q. Gallio crimini dedisset, sibi eum venenum parauiße, idque a se esse deprehensum, seseq; chirographa, testificationes indicia, quæstiones, manifesta rem deferre diceret; deque eo crimine accurate & exquisite disputauisset; me in reprehendendo cum eßẽ argumẽtatus quantũ res ferebat, hoc ipsum etiã posuisse pro argumento, quod ille cũ pestẽ capitis sui, cum indicia mortis se manifesto & manu tenere diceret, tam solute egißet, tam leniter, tam oscitãter. Tu istuc M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres? etc.

Placet etiam hoc loco ad eandem rem demonstrãdam illud referre, quod his annis accidit. Sermonẽ habebant de uera religione duo, quorum alter Catholicus, alter hæreticus erat. Is inter alia quæ pro sua hæresi confirmanda attulit; hoc etiam usus est signo. Vis, inquit, videre an nostra religio, atque doctrina uera sit, animaduerte quanto studio, quanta contentione, quantoque ardore eam nos defendamus, & augere, atque amplificare conemur: uos autem uestram negligenter tractatis, & nullo cum ardore defenditis. Quod vir Catholicus non negauit: Sed tamẽ uere sapienterque subiecit, Nec id mirum videri debet, quandoquidem ista vestra doctrina, noua est, a uobis initium habuit, uestra est filia: nostra uero est antiqua, per traditionem ab Apostolis, & a Christo accepta, non ab hominibus inuenta, sed a Deo instituta. Atqui parentes Arist. in eth.

O magis

magis suos filios amant, quam filij parentes, & idcirco vos vestram, ut a vobis genitam ardentius defenditis: Illud etiam memoriæ proditum est de quodam, qui cum caussam quandam ad Demosthenem detulisset, eamque frigide narrasset, nec in narrando ullo modo commotus fuisset, vt res postulabat, Orator, quod ille narrasset, sibi non probari, nec se adduci posse ut uerum eße crederet, dixit. Quo audit, sic ille repente accensus est, & uoce, uultu, totiusque corporis gestu, ea signa doloris dedit, atque se affectum esse ostendit, ut tum primum Demosthenes plane rem ita habere sibi persuasum esse dixerit. Et sane, quis non fateatur eum ad dicendum esse ineptum, qui caußam atrocissimam, ut Christi recuperatoris mortem, sine ullo sensu, sine ullo dolore, siccis oculis, solute, leniter, & oscitanter tractaret? Ego sæpe meis discipulis dicere solitus sum, eos adite præceptores qui cum affectu docent, & concionatores, qui cum motu dicunt, atque confeßarios, qui non sine animi commotione uobiscum agunt. Sed de his alibi.

Ideo optimus orator Antonius, cum late quo pacto in caussa Norbani agenda se gessisset, explicaret, inter alia hæc dixit, Non fuit hæc sine meis lacrymis, non sine dolore magno miseratio, omniumque deorum, & hominum, & ciuium, & sociorum imploratio: quibus omnibus verbis, quæ a me tum sunt habita, si dolor abfuisset meus, non modo non miserabilis, sed etiam irridenda fuisset oratio mea.

mea. Quamobrem hoc uos doceo Sulpici, bonus ego videlicet atque eruditus magiſter, ut in dicendo iraſci, ut dolere, ut flere poſſitis. Legenda eſt tota hac de re Antonij diſputatio.

Tertia poſitio, in omni affectu concitando hæc tria cauenda ſunt. Primum ne aliena afferamus, Streb. *hoc eſt, quæ minime ualent ad illum motum ciendũ, quem ciere uolumus: deinde ne cõtrarium affectum incitemus: poſtremo, ne, cum incitare uolumus, ſedemus. Ex quib. intelligi facile poteſt, an qui in dicẽdi facultate uerſantur, aliquam affectuum notitiã habere debeant: qua, ſi carebunt, profecto in illa tria vitia, aut ſaltem in aliquod ex illis incident, cum motus facere uoluerint. Cognoſcendi itaque ſunt affectus, eorum cauſſæ nõ ignorandæ, nec etiam* Lib. 1. orat. *qui illis permoueantur.*

Quarta poſitio, uehementiores affectus illæ cauſſæ admittunt, quæ ſunt grauiores: in quibus de uita, de dignitate, de religione, & de libertate agitur, & harum ſimiles. Huc pertinet hæc Antonij doctrina, Et quidem primũ cõſiderare ſoleo, quid poſtulet Lib. 2. orat. *ne cauſſa: nam neq; in paruis rebus adhibendæ ſunt hæ dicendi faces: neque ita animatis hominibus, ut nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere poſſimus; ne aut irriſione, aut odio digni putemur, ſi aut tragedias agamus in nugis, aut cõuellere ado*Lib. 2. orat.*riamur ea, quæ non poßunt commoueri. Duo itaq; ſunt tempora cum motus excitare non debemus, cũ in re minoris momenti uerſamur, & cum apud eos*

agimus, qui animati, hoc est, obstinati sunt; apud eos nimirum qui ita animum obfirmarunt, ut a sua opinione dimoueri nequeant.

Quincta positio, in re difficili, periculosa, & nondum perspecta, non est auspicandum ab aliqua maiore commotione. Laudatur itaque principium summissum, medium paullo securius, finis prope audax. Hanc doctrinam ex Cicerone in oratore perfecto colligere licet, ubi de oratione Demosthenis pro Cthesiphonte loquendo, ita scribit. Itaque quem præstitisse diximus cæteris, in illa pro Ctesiphonte oratione longe optima, summissius a primo: deinde, dum de legibus disputat, pressius: post sensim incedens, iudices ut uidit ardẽtes, in reliquis exultauit audacius. Et Crassus apud eundẽ, Mihi uero quique optime dicunt, quique id facillime atque ornatissime facere poßunt: tamen nisi timide ad dicendum accedunt, & in exordienda oratione perturbantur, pene impudentes uidentur. Item apud eundem Antonius, In utroque autem genere dicendi, et illo, in quouis atq; contentio quæritur, & hoc quod ad uitam, & mores accõmodatur, & principia tarda sunt, et exitus tamen spissi, & producti esse debẽt. Huc pertinet tota illa laudatio Sulpicij, qua Antonij exordium, quo vsus est in caussa Norbani, quam apud Ciceronem legere poteris, quæ sic incipit, Quod tuum principium, dij immortales, fuit? qui timor? & quæ ibi sequuntur.

Streb.

Lib. 1. orat.

Lib. 2. orat.

Lib. 2. orat.

Sexta positio, si caußa grauis & atrox esset penitus

nitus nota & manifesta, ita ut iudices, seu auditores non essent docendi, orationis initium posset esse patheticum; Cuiusmodi est illud Ciceronis in Catilinam, Quousque tandem Catilina abutere, &c. E illud Corydonis apud Virgilium, Ecl. 2.

O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas:
Nil nostri misereris, &c.

Et apud regium uatem, Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Item, quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Item, quam dilecta tabernacula tua Domine? Item, ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in unum. Psal. 50. 51. 84. & 132.

Septima positio, non solum initia possunt esse pathetica, sed etiam tota oratio. Adijciunt, inquit Fabius, quidam peritorum, pathos temporale esse. Quod ut accidere frequentius fateor, ita non nullas credo eße materias, quæ continuum desiderent affectum. Hæc ille. Quam doctrinam confirmare licet exemplis, cum sæpe, præsertim apud poetas, orationes totas patheticas legamus: quæ tamen solent esse breuiores. Qualis est illa Didonis in Aeneam.

Dissimulare etiam sperasti perfide tantum Virg. li. 4 Aen.
Posse nefas? tacitusq; mea decedere terra?
Nec te noster amor, &c.

Octaua positio, maiores affectus, vniuerse loquendo, in duabus orationis partibus excitantur, in cõfirmatione,

matione, cum aliquam grauiorem rationem exaggeramus & amplificamus; & in peroratione: quibus etiam in locis amplificare licet. Ad hanc doctrinam confirmandam hic facit Ciceronis locus,
In orat. *Augendis vero rebus, & contra, abijciendis, nihil est quod non perficere possit oratio: quod & inter media argumenta faciendum est, quotiescunque dabitur, uel amplificandi, uel minuendi locus, & pene infinite in perorando. Sed tamen magis in peroratione, quam alibi. Ideo paullo infra de se loquendo, ait, Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum vsus pluribus, quod etiam si plures dicebamus, perorationem tamen omnes mihi relinquebant. In quo, ut uiderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar, & quæ apud ipsum sequuntur. Quare, non semper, non ubique, nec præter rem erit exclamandum, aut admirandum, ut pueri & inepti facere consueuere, in eum finem, ut aliquid dicere videantur.*

Nona positio, ex duobus dicendi generibus, leni, & concitato quoddam tertium ac temperatum faciendum est, ita ut aliquid unius influat in aliud.
Lib. 2. orat. *Sed est quædam, ait Antonius, in his duobus generibus, quorum alterum lene, alterum uehemens esse uolumus, difficilis ad distinguendum similitudo. Nam ex illa lenitate qua conciliamur ijs, qui audiunt, ad hanc uim acerrimam, qua eosdem excitamus, influat oportet aliquid; & ex hac ui nonnunquam animi aliquid influendum est illi lenitati:*

neque

neque est ulla temperatior oratio, quam illa in qua asperitas contentionis Oratoris ipsius humanitate conditur: remissio autem lenitatis quadam grauitate & contentione firmatur. Id in caußa Norbani se fecisse ait Antonius, Tunc admiscere huic generi orationis vehementi, atque atroci, genus illud alterum, &c.

Decima positio, oratio illa, qua permouendi sunt affectus, uniuerse loquendo, debet esse aliquanto spissior atque productior: ita ut, ei qui in hanc rationem ingressus fuerit, non sit celeriter discedendum. Non enim, ut idem disputat Antonius, sicut Lib. 2.
argumentum simul, atque positum est, arripitur, orat.
alterumque & tertium poscitur, ita misericordiam, aut inuidiam, aut iracundiam, simul atque intuleris, possis commouere.

Undecima positio, omnes affectus, siue lenes, siue concitati sint, contrarijs c[illegible]tionibus auferuntur; ut odium, beneuolentia; inuidia, miseratione, & sic de alijs: in quo affectus differt ab argumento, quod non semper a contrario refellitur.

Quæ ad permouendos affectus ualeant, & qua ratione quidam priuati affectus permoueri queant. Disput. 7.



VA *ratione maiores affectus incitandi sint, proxima disputatione uniuerse docuimus: nunc quosdam communes locos indicabimus, ex quorum tractatione auditorum animos concitare licebit: quibus adijciemus aliquid de modo, quo quidam priuati affectus inflãmãdi sunt. Duo itaq; nobis ĩ hac disputatione explicanda proponimus: atq; de primo ita statuo.*

Prima positio, omnes affectus præsertim maiores ex locis expetendorum & fugiendorũ oriuntur: ex honesto nimirum & turpi, ex utili & inutili, & ex iucundo & iniucundo. Honesta, utilia, & iucunda merentur amorem, turpia uero abhorrentia a natura, iniusta damnosa, & iniucunda oderunt homines. Quare horum bonorum & malorum genera & partes cognitas ac ꝑspectas habeat, qui affectus cõmouere uoluerit: ut eas demonstrare possit in re subiecta. Io. merc.

Secunda positio, affectuũ cõmotio, priuatim petẽda est a circunstantiarũ tractatione. Nã, ut quæ ad rei naturã pertinent, eã esse probant, ita circunstantiæ eius magnitudinem, aut tenuitatem demõstrãt, unde eius amplificatio, uel extenuatio exoritur, quæ ad permouendos animos maxime conferunt. Cum ergo nulla sit circunstantia, quæ alicui rei addita, non eam, uel amplificet, uel extenuet, hoc est, non demonstret

ſtret qualis & quanta ſit, an ualde honeſta, turpis, vtilis, & dãnoſa, profectò hic locus permouere uolenti cognoſcendus, diligenterq; tractandus erit.

Tertia poſitio, quamuis circunſtantiarũ diligens tractatio priuatim ad amplificandum, ac proinde ad affectus permouendos valeat: tamen, alij quoq; loci qui probationi inſeruiunt, ad amplificandũ, et ad mouendum conferunt; modo diuerſa ratione tractẽtur, quã cum ſimpliciter ad probandũ afferuntur; nimirũ genere dicendi amplo, cõcitato, atq; incenſo. Et licet omnes loci conglobati ac frequẽtati amplificãdi uim habeant: tamen hi ſpeciatim: Definitionũ cõglobationes, cauſarũ et effectorũ frequẽtationes, contrariorũ ſimiliũ & diſſimiliũ conflictiones, adiunctorũ aſſumptiones, exemplorũ enumerationes, et deniq; omnia, ex quib. rerũ copia, de qua alibi late ſcripſimus, ſumi poteſt; ut ſunt partitiones, adiũcta, quæ, uel antecedunt, vel comitantur, vel ſequuntur; cauſſæ effecta, rerum & perſonarum attributiones earundemque deſcriptiones, incremẽta, gradationes, cõparationes, ratiocinationes, ſermocinationes, cõgeries, et alia alibi enumerata, expoſita, et exemplis illuſtrata. Lib.4.de eloq. Et li. de ora. diu.

Quarta poſitio, ad permouendos affectus cõferũt locorũ cõmuniũ tractationes: in quibus, q erit valde exercitatus, qui ad cauſſas eas apte accõmodauerit, is profectò ad affectus quoſcunq; cõmouẽdos erit maxime idoneus. Hoc fecit Cic. pro S. Roſcio, cũ egit de parricidio, & multis alijs in locis: qua in re mirifice excelluere diuinorũ oraculorũ ſcriptores, ut lib 4. de

rhetorica

rhetorica diuina late docuimus: qui locus est omnino legendus ab eo, qui affectuum commouendorum usum plane cognoscere uult.

Quincta positio, ad affectus commouendos confert quarundam figurarũ usus & frequentatio. Huiusmodi sunt, exclamationes, apostrophes, præsertim ad res sensu carentes, hyperboles, obsecrationes, interrogationes, repetitiones, adiurationes, optationes, imprecationes, admirationes, congeries, commotiones, ad summam, quæ aliquem maiorem exprimunt affectum, energiamque continent: de quibus libro primo de Eloquutione late scripsimus, & quæ docuimus, exemplis illustrauimus: ac etiam omnes illæ, quæ uim amplificationis habent. Insequi

Li.6.c.2 *tur, ait Fabius, Energia, quæ a Cicerone illustratio & euidentia nominatur; quæ non tam dicere uidetur, quam ostendere: & affectus non aliter, quam si rebus ipsis intersimus, insequuntur.*

Sed peteret hoc loco quispiam, cum ijdem loci ualeant ad probandum & ad amplificandum; quid amplificatio a probatione, seu ab argumentatione differat. In argumentatione, an res sit, quid sit, & qualis sit ostenditur; in amplificatione de eius magnitudine, & amplitudine agitur; ut cum rem aliquam in suo genere calamitosam, miserabilem, optabilem, detestabilem eße ostendimus; & ita rem ad certam quæstionem constringit. Rursus, argumentatio aliqua ratiocinationis forma concluditur breuiterq; tractatur: at uero amplificatio per modum exposi-

positionis & enumerationis latius, atque uberius. Denique argumentationis est fidem facere, & intelligendi uim ad assensum rationum momentis perducere: at uero amplicatio, non modo mentis assensionem procreat, & ut res in suo genere magna uideatur efficit, sed etiam uoluntatem ad amandum, uel detestādum trahit, in alium ue affectum inducit. Iuuat etiam ad affectus commouendos aliquarum rerum ostensio, quæ ad id quod agitur aliquo pacto pertinent; ut deserti pupilli, laceræ & cruore infectæ uestes, accepta uulnera, & id genus alia. Vnde Cicero de miseratione loquēdo dixit, Qua nos ita dolenter uti solemus, ut puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus, ut alia caussa, excitato reo nobili, sublato etiam filio paruo, plangore, & lamentatione compleremus forum. Hac eadem arte usus est M. Antonius, in oratione quam habuit in Cęsaris funere, quæ apud Dionem extat; ubi rem ipsam his uocibus exaggerauit, Heu crines canos sanguine concretos: Heu uestem laceram, quam, ut apparet, non in alium finem sumpsisti; quam ut in ea trucidareris. Et quoniam, ut Cicero monet, commotis animis, in conquestione morari non oportet, orationem abrupit, & auditores, quos commotos, inflammatos uidit, in medio dolore & indignatione reliquit. Atque de eo quod primo loco explicandum proposuimus, hucusque: nunc de altero dicamus. In orat. Lib. 44.

Quod igitur attinet ad doctrinam de singulis affecti-

fectibus permouendis, integrum conficerem uolumen, si per singulos percurrere uellem, demonstrando singulorum locos, ac etiam exemplis locos illustrando; ideo, ut breuitati studeam, satis erit, si de nonnullis breuiter scripsero, ea in medium afferendo, quæ de re proposita apud Ciceronem disputat Antonius: cum quæ iam dicta sunt, sufficere possint: plura qui uolet, nostros de Rthetorica diuina libros legat.

Sexta positio, amor ex Tullij doctrina his locis conciliari poterit. Sentimus, ait, amorem conciliari, si id velle videare, quod sit vtile ipsis, apud quos agas, defendere: si aut pro bonis uiris, aut certe pro ijs, qui illis boni atq; utiles sint, laborare. Nanque hæc res amorem magis conciliat, illa uirtutis defensio caritatem: plusque proficit, si proponitur, spes vtilitatis futuræ, quam præteriti beneficij commemeratio. Enitendum est, vt ostendas in ea re, quã defendas, aut dignitatem inesse, aut vtilitatem, eumque, cui concilies hunc amorem, significes nihil ad vtilitatem suam retulisse, ac nihil omnino fecisse sua caussa. Inuidetur enim commodis hominum ipsorum: studijs autem eorum cæteris commodandi fauetur. Videndumque hoc loco est, ne quos ob benefacta diligi volumus, eorum laudem atq; gloriam cui maxime, inuideri solet, nimis efferre videat.

Septima positio, odium ijsdem ex locis in alios struere licet, & a nobis, atque a nostris dimouere, eademque hæc genera tractanda sunt in iracundia, uel

uel excitanda, uel ſedanda. Nam, ſi quod ipſis qui audiunt perniciosſum, aut inutile ſit, id factum augeas, odium creatur: ſin quod, aut in bonos viros, aut in eos, quos quiſq; minime debuerit, aut in remp. tum excitatur, ſi non tam acerbum odium, tamen, aut inuidiæ, aut odij non diſſimilis offenſio.

Octaua poſitio, timor incutitur, aut ex ipſorum periculis, aut ex communibus. Interior eſt ille prius, ſed hic quoque communis ad eandem ſimilitudinem eſt perducendus. Par quoque una ratio eſt ſpei, lætitiæ, moleſtiæ.

Nona poſitio, ad inuidiæ affectum commouendum (ſi tamen hunc affectum commouere licet) uidendum eſt, quibus homines inuideant, ut paribus, inferioribus, cum ſe relictos ſentiunt, illos autem dolent euolaſſe: ſed etiam ſuperioribus inuidetur, ſæpe uehementer, & eo magis, ſi intollerantius ſe iactant, & æqualitatem communis iuris, præſtantia dignitatis, aut fortunæ ſuæ tranſeunt. Quæ ſi inflammanda ſunt, maxime dicendum eſt, non eſſe virtute parata: deinde etiam vitijs, atque peccatis: tum, ſi erunt honeſtiora, atque grauiora; tamen non eſſe tanti vlla merita, quanta inſolentia hominis, quantunque faſtidium. Ad ſedandum autem, magno illa labore, magnis periculis eſſe parta, nec ad ſuum commodum, ſed ad aliorum eſſe collata, ſeſeq; ſi quam gloriam peperiſſe uideatur, tametſi ea non ſit iniqua merces periculi, tamen ea non delectari, totamq; abijcere, atq; deponere: omninoq; perficien-

ficien-

ficiendum est, (quoniam plerique sunt inuidi, maximeque hoc commune uitium, & peruagatum; inuidetur autem præstanti florentique fortunæ) ut hæc opinio minuatur, & illa excellens opinione fortuna cum laboribus, & miserijs permista esse uideatur.

Decima positio, misericordia mouetur, si is qui audit, adduci potest, ut illa quæ de altero deplorentur, ad suas res reuocet, quas aut tulerit acerbas, aut timeat; ut intuens alium crebro, ad seipsum reuertatur. Ita cum singuli casus humanarum miseriarum grauiter accipiuntur, si dicuntur dolenter; tum afflicta & prostrata uirtus maxime luctuosa est. Nam, si quis improbus, aut iniustus laboret, prematurque, non tamen misericordia illius mouemur, quia dignus illis malis habetur: at contra uiri boni, & innocentis quouis incommodo laborantis miseret nos. Is autem facilius ad misericordiam excitabit, qui quibus rebus hi affectus permoueantur, nouerit: atque idem de alijs affectibus dicas: de quibus omnibus lege quæ libro secundo de Inuentione diximus. Quare, si quis iræ affectum commouere uellet, is noscat oportet qui facile ira incendantur, & contra quos, & quibus de caussis. Itaque hæc tria uidenda sunt ei, qui auditorem ad iram, gratia exempli, uelit incitare. Nam si teneas qui sint ad iram procliues, & quibus irasci sint soliti, & ignores ob quas res irascantur auditores, etiamsi illi facile commoueri possint; tu tamen

hunc

hunc animi motum excitare non poteris: similiter, si duo posteriora teneas, & primum ignores, nihil efficies. Et ut hunc locum concludam, qui facilius omnes affectus commouere uolet, is locos bonorum auctorum in quibus affectus commouentur notatos habeat, eosque dicendo imitetur, ut tertio de Caussis eloquentiæ libro docuimus.

Atque hucusque de tribus oratoris officijs satis superque fortasse diximus. Sed quoniam aliquis dubitaret, an ad hæc munera recte obeunda necessarium sit, ut Orator sit vir bonus, ideo consequenti disputatione hanc difficultatē diligēter discutiemus.

An Orator, ut suo optime fungatur officio, debeat esse uir bonus. Disput. 8.



I *Fabius bonus dicendi artifex, bono quodam animo, in suis institutionibus, ita suum Oratorem instituisset; ut eundem non modo eloquentem, sed etiam virum bonum esse uoluißet, ut nemo Orator uere dici possit, nisi ille qui fuerit uirtute ornatus; ut in re alias satis perspicua explicanda laboraremus, nihil esset. Sed quoniam uir de oratoria facultate multum benemeritus, nobis negocium facit, & uarijs rationibus pro falsitate contra ueritatem pugnat; ideo proposita dubitatio diligenter a nobis discutienda est. Et primum quidem rationes quibus suam sententiam Fabius tueri ac persuadere conatur,*

&

& quasdam alias in medium afferam.

Primum, pro Quinctiliani sententia grauissima Catonis Censoris facit auctoritas; qui Oratorem definiens dixit, Esse virum bonum dicendi peritum: quę sane descriptio multorum Rhetorū animos turbauit: quam Fabius exponens, ait, id quod in hac definitione prius positum est, ipsa natura esse potius et maius. Ad hanc auctoritatem accedit etiam non paruifacienda Ciceronis doctrina, ex quo non vno in loco discimus, Oratorem debere esse virum sapientem; & olim, ut idem sæpe testatus est, iidem erant sapientes & eloquentes: & iidem recte faciendi et bene dicendi magistri: at sapiens nemo erit unquā, nisi sit uir bonus; cum is non sapiat, qui sibi non sapit, ut omnes mali: igitur. Ideo aliquando de Epicureorum philosophia loquendo, & qualis debeat esse Orator docendo dixit, Ex illis autem, quæ remanent, ea philosophia quæ suscepit patrocinium uoluptatis, etsi cui vera videtur, procul tamen abest ab eo viro, quem quærimus, & quem auctorem publici consilij, & regendæ ciuitatis ducem, & sententiæ, atque eloquentiæ principem in senatu, in populo, in caussis publicis esse uolumus. Et apud eundem Crassus, Caput, inquit, esse arbitrabatur, Oratoris, ut & ipsis apud quos ageret, talis, qualem se ipse optaret, uideretur: id fieri vitæ dignitate, de qua nihil isti rhetorici doctores in præceptis suis reliquissent.

Lib. 12.

Lib. 3. orat.

Lib. 3. orat.

Lib. 1. orat.

Deinde, prudens diceret nemo probitatem non

con-

conferre multum ad persuadendum, & ad perfectiorem Oratorem constituendum; cum melior sit is, qui pluribus rebus ad finem suum consequendum sit instructus: summus itaq; Orator, & ille quem animo saltem cernimus, bonus esse debebit. Quæ enim vt ait Antonius, singularum rerum artifices singula si mediocriter adepti sunt, probantur; ea nisi omnia summa sunt in Oratore, probari non possunt; at quo modo erunt omnia summa, si ei deerit quod est summum? Quomodo optimus is, cui deest id quod est optimum? & cum optimum sit id quod omnes laudes habet, ut Tullius ait, quas sane vir malus non habet, malus non poterit esse optimus: & denique, cum Oratori nihil cōdonetur, vt cæteris artificibus, auctore Antonio, cur ei condonatur malitia? Lib. I. orat.

Præterea, si Orator potest is dici, qui est vir malus, qui de arte dicendi scriberet, male de rebus humanis mereretur, non militi, sed latroni fabricando, ac tribuendo arma: immo ipsa natura, quæ magnam vim tribuit ad dicendum, non parens, sed nouerca dicenda esset, & scelerum socia, aduersaria innocentiæ, & ueritatis atque hostis.

Postea, cum Orator iustissimas caußas defendere debeat, & in omni genere dicendi, finis sit honestas, vel dignitas; qui fieri potest, ut malitiosus optima, & iniustus iusta, & turpis honesta defendat? Quomodo in eodem animo iusta & iniusta possunt eße simul? quodnam est rei turpis

& honestæ consortium?

Ad hæc, qui honestatem negligit, & turpitudinem amplectitur, & qui mauult doloribus animi cruciari, quam honestas leges seruare, atq; honeste viuere omnium iudicio, pro stulto habendus est, cũ turpia anteponat honestis: atqui hominem stultum in Oratorum numero ponere, quis stultissimum esse non videat? cum nullus sit artifex qui maiore indigeat prudentia, quam Orator: prudentiæ autem nihil est magis inimicum, quam stultitia.

Iam vero, si malus sit Orator, & alio modo dicat, atque sentit, non tam Orator, quam simulator, & dum arte abutitur, non artifex, sed artis corruptor dicendus erit: neque enim eum scriptorem appellaremus, qui peruerse vteretur calamo. Insuper, eloquentia est ex numero eorum habituum qui indifferentes vocantur: si indifferens; igitur Orator qui ab ea nomen accipit, nec bonus, nec malus dicendus erit.

Denique, eloquentia est virtus quædam, vt non uno in loco scriptum reliquit Tullius, a qua suum nomen capit Orator, qui dicitur vir eloquens: studiosus igitur. Atque hæ fere sunt rationes, quibus Li. 12. Fabiana confirmari potest opinio.

lib. 2. c. 15. & 17. Arist. Prut. li. 1 c. 5. Maior.

In hac itaque disputatione Quinctilianus mordicus defendit, Oratorem non posse esse eum qui non sit vir bonus: cuius sententiam nonnulli alij sequuntur: quibus communem bonorum Rhetorum opponeres auctoritatem, qu contra, & verissime quidẽ, sen-

ſentiunt: quod qui non ſentiunt, ſe parum in ethicis & dialecticis uerſatos eſſe omnino demonſtrant, vt ex fundamentis quæ ponã facile erit cognoſcere.

Primum fundamentum, cum de homine, ſiue de artifice quopiam dicimus, eſſe, aut eſſe debere bonũ, id duobus modis intelligi poteſt: primo quidem proprie & ſimpliciter in genere moris; ita vt is bonus dicatur, qui uirtutibus morum, quæ ſolæ uere ſunt virtutes, ſolæque hominem uere bonum faciunt, eſt ornatus: altero improprie & ex parte, ratione alicuius artis, uel habitus, quo aliquid cognoſcit, aut efficit; quo modo dicimus bonum Cithæredum, bonũ Sculptorem, & Architectum bonum: qui in hoc ge nere dicitur bonus, ſi bene artem quam tractat noſcit, & ex ea aliquid efficit. Eſt ergo difficultas, an primum bonitatis genus neceſſarium ſit ad faciendum bonum Oratorem, vt Fabius contendit; an tantum ſecundum ſufficiat, bona nimirum & abſoluta dicendi doctrina, atque facultas, ut alij uolunt. Rurſus, duplici ratione quempiam appellamus bonum, uel quadam communi loquendi conſuetudine, cum nullo inſigni probro eſt notatus, nullaque ſordet infamia, ſed rebus ſuis conſulendo vrbane viuit, Quo modo antiqui Romani, ut eſt apud Catonem in libris de re ruſtica, cum quempiã ciuem laudare uolebant, dicebant, Bonus vir, bonusque colonus: Quod laudis genus ampliſſimum putabatur: vel, ut Philoſophi qui mores tractant, loqui conſuevere; a quibus is homo bonus vocatur, qui virtuti-

bus morum ſit ornatus, qui neminem lædat, qui ſuũ cuique tribuat, qui honeſte, naturæq; congruenter viuat. Denique, quod attinet ad oratorem, bonum oratorem appellare poſſumus, vel eum qui ſit vtilis & ſalutaris reip. qualis re vera deſiderandus eſt; vel eum, in quo omnia reperiuntur, quæ ſunt ſua natura neceſſaria, vt tale mereatur atque retineat nomen, talem nimirum, quale deſcripſit apud Ciceronem Craſſu, qui quæcunque res inciderit, quæ ſit dictione explicanda, prudenter, copioſe, ornate, & memoriter, cum quadam actionis dignitate dicat.

Lib. 1. orat.

Secundum fundamentum, in quo explicabitur, quæ ſit illa prudentia, quæ in oratore requiritur. Prudentia, quam alibi definiuimus & late explicuimus, duplex eſt: vna quæ eſt omnium virtutem regina, & moderatrix, quæ in omni vita bene inſtituenda verſatur; de qua Ariſtoteles in Ethicis libro ſexto diſputat, & Diuus Thomas in altera parte ſecundæ: altera, quæ eſt propria cuiuſque artis, quo modo prudentem nautam, agricolam, medicũ, & militem vocamus prudentem: quæ efficit ut ſingularum artium præcepta ad tempora, ad loca, ad perſonas, & ad ſingulos euentus accommodentur: qua potiſſimum egent omnes artes, quæ ſunt in coniectura poſitæ, vt alio loco plane docuimus. Illa omnes homines debent eſſe præditi, cum nemo poſſit honeſte viuere, niſi fuerit tali prudentia ornatus: hac ſolum ij qui artes tractant: illa in ſingulis rebus humanis verſatur, hæc in hoc, uel illo genere:

Lib. 2. de Inu.

Lib. 1. de art. dic. diſp.

illa

illa non potest esse sine virtutibus morum, hæc ue-
ro maxime. Est enim illa, recta eorum quæ agun- Arist. li. 6. eth.
tur ratio, dum insitas a natura notiones rebus sin-
gulis accommodat; quod sine errore facere non po-
test, nisi per virtutes morum animi perturbationes
fuerint sedatæ. Itaque nemo erit prudens, qui
bonus non fuerit, nec bonus qui prudentia carue-
rit. At vero potest esse prudens nauta in regenda
naui, sed imprudens in vita gubernanda. Quare,
prior prudentia reddit homines simpliciter pruden-
tes: altera vero tantum in certo genere: & ideo, qui
bene vitam regit, absolute prudens nominatur: qui
vero caute nauem gubernat, prudens nauta. Ex qui D. Tho.
bus inferre licet, duplicem eße stultitiam: vnam con 2. 2. q.
trariam priori prudentiæ, alteram posteriori: fieri- 54. ar. 4.
que posse aliquem eße stultum in vitæ moderatione;
in aliquo tamen artificio prudentem, & contra. Vt
ergo aliarum artium est prudentia quædam, ita etiã
artificij oratorij, & quidem maxima, vt alibi docui- Lib. 2.
mus, cum de vnaquaque re in omni loco & tempo- de arte
re se apte atque idonee dicere posse profiteatur. dicen.
Huc faciunt hæc Bruti apud Ciceronem verba, In Brut.
Etenim dicere bene nemo potest, nisi qui pruden-
ter intelligit. Quare, qui eloquentiæ ver ę dat ope-
ram, dat prudentiæ: qua ne maximis quidem in
bellis æquo animo carere quisquam potest. Et hęc
est illa prudentia, quam in oratore, eum describen-
do, requirebat Crassus, non illam, quæ est honestę
vitę dux atque magistra.

Tertium fundamentum, magna olim fuit controuersia inter Stoicos & Peripateticos Philosophos, an virtutes essent scientiæ: illi affirmarunt, hi negarunt; & iure quidem optimo, quod nunc tanquam certissimum suppono, cum aliud sit cognoscere, aliud recte agere. Vnde Lupus apud Aesopũ, Alia dicunt, alia faciunt: ac proinde alij erunt bene cognoscendi, alij bene agendi habitus. Et quamuis virtutum & artium habitus sint diuersi: tamen non sunt inter se contrarij: quo fit, ut simul in eodem pectore esse possint. Et quoniam nemo ita flagitiorum & scelerum curis distinetur, ut nihil temporis in literarum studia possit impendere, quamuis corporis uoluptates eis plurimum obsint, ideo quisque, etiam improbus, in bonis artibus poterit proficere; ad quarum consequutionem multa sunt quæ conferunt; vt bona fortunæ, gloriæ cupiditas, quædam animi fortitudo, & in laboribus perferendis patientia, quæ interdum in improbis est maxima, sed vitiosa: qualis referente Sallustio, in Catilina fuit; & denique vtilitatis, atque emolumenti spes. Poterunt itaque mali artem aliquam consequi, atque etiam ea abuti, & ut ea abutantur, sinere se corrumpi; cum non sit artificis, puta Oratoris, proprium, ut se corrumpi non sinat, sed hominis constantis & religiosi, & perfecta virtute præditi. Nec ideo Oratoris nomen amittet, sicuti nec Medicus, qui pecunia corruptus, dum sanare deberet, perderet. Cum ergo improbi rerum cognitionem acqui-

Arist. in eth.

cic. orat. pro M. Cælio.

quirere possint, de rebus bonis, iustis, & honestis dis serere poterunt, quamuis ipsi, nec honesti, nec iusti, nec boni sint: Cum non is dicatur iustus & honestus, qui iusta & honesta cognoscit, sed is qui iusta facit; cum virtus non in cognitione, sed in electione & in actione consistat, unde omnis eius petitur laus. Non erit itaque necesse, vt Orator si iustus, ad hoc, vt de iustis disputet; & ut sit bonus, vt utiliter consulat. Verum tamen est, quod si Orator recte, siue honeste & laudabiliter dicendi facultate vsurus sit, id eum efficere minime posse, ni iustus bonusque fuerit: ita vt, non modo honesta & iusta cognoscat, sed etiam eadem velit & efficiat: quod si satis esset Fabio, nulla cum eo nobis esset controuersia. Nec propterea melior dicetur Orator, si cum facundia dicendi coniunctam habebit probitatem. Quare, si duo darentur Oratores, quorum alter bonus, alter malus esset, ille non diceretur melior Orator, si ambo essent in arte dicendi pares, & æque ad persuadendum idonei. Vt si duo essent Medici, omnibus aliis rebus pares, sed alter tristi & tacita natura: alter mirifico lepore, & festiuitate conditus; quamuis hic facilius ægrotum sanaret, quod eum facetiis exhilarare possit: tamen non proinde melior Medicus est iudicandus, cum propria artis præsidia sint in utroque paria; cum res ex propriis, non ex iis quæ extrinsecus accedunt, iudicandæ sint. Atque hæc sunt quæ adnotare uolui: si quæ restãt, in positionib. & responsionib. ad argumẽta dicẽtur.

Lib. 1. de arte dicendi. *Prima positio, facultas oratoria, siue ars dicendi non est virtus. Doctrina est manifesta, quam alibi late probauimus: ac proinde, ne acta agamus, nihil nunc repetemus. Virtus enim est affectio animi constans conueniensq; laudabiles efficiens eos in quibus est, & ipsa per se sua sponte, separata etiam vtilitate, laudabilis: ex ea proficiscuntur honestę uoluntates, sententię, actiones, omnisque recta ratio: Quę sane Ciceroniana virtutis descriptio, eloquentię non conuenit.*

Secunda positio, potest aliquis dicendi facultate abuti. D. Aug. *Hęc etiam positio est certissima, cum una sit virtus, qua nemo abuti potest, vt alibi docuimus: cum ergo eloquentia non sit virtus ea, vt Cicero plane docuit, orator abuti poterit; ut ipse aliquando fecit, & se fecisse confessus est.*

Lib. 1. de Inu. *Tertia positio, ad bonum oratorem constituendum, morum bonitas, ex se, non est neceßaria. Est hęc positio contra Fabij opinionem, quam his rationibus impugno. Primum, auctoritate M. Tullij, qui definiens oratorem varijs in locis, nunquam meminit bonitatis; & de optimo oratore loquens,* Lib. 1. de opt. gen. orat. *dixit, Optimus est enim orator, qui dicendo animos audientium, & docet, & delectat, & permouet. Deinde arguo a pari de alijs artificibus, qui possunt esse optimi, & in sua arte excellere, etiamsi mali sint, quod experientia ipsa rerum omnium magistra expresse docet: Boni reperiuntur nautę, boni agricolę, boni milites, boni medici, qui tamen non sunt uiri*

ri boni: cur igitur de oratore non idem dicamus? Ideo M. Tullius aliquando scripsit, Critiam & Alcibiadem ciues Athenienses, non bonos illos quidẽ, sed tamen eloquentes fuisse: non itaq; ob prauitatẽ, nomen amiserunt. Et alio loco, Tiberium Graccum, Caiũq; Carbonem, Ciues perniciosos fuisse affimat; quos tamen summos oratores uocat. At, quid de Demosthene, & Cicerone dicemus? quos, aut ob optimorum Oratorum numero excludemus, aut contra fide dignos scriptores, qui de eorum vita meminerunt, bonos fuisse, falso affirmare cogemur.

Lib. 3. orat.

Eod. lib.

Denique, ne multa quæ contra falsam sententiã disputari possent, in medium afferam, hoc unum argumentum Fabium iugulat, quo ipse suam sentẽtiã destruit, dum isti suo bono oratori concedit ut mendacio utatur, & ut iniustam caussam suscipiat: at, bone vir, cur bono oratori quæ non sunt bona concedis? non ne cernis quantum ista inter se pugnent, oratorem summum non posse esse, nisi sit vir bonus, & ei concedere vsum mendacij, quod est intrinsece malum, atque etiam caußarum iniustarum defensionem, cum vir bonus debeat solum iustas caussas defendere.

Quarta positio, si orator sit futurus reip. utilis, si eloquentia non sit abusurus, necessario debet eße vir bonus. Patet hæc doctrina ex ijs quæ in vltimo diximus fundamento; honestus. n. omniũ artiũ vsus pẽdet a bono fine, ad cuius appetitionẽ oẽs

Plat. in Gorg.

nir-

virtutes, excepta prudentia, uoluntatem inclinant; & ab omnibus circunstantijs, atque destinatis, quæ ad finis consequutionem conferunt, in quibus a prudentia dirigimur. Nemo igitur, cui hæ virtutes deerunt, honeste sua vtetur arte.

Quincta positio, bonitatis opinio, siue morata oratio non nihil iuuat ad facilius persuadendum. Id præter ipsam experientiam, & hominum communem sensum, in rhetoricis docet Aristoteles, vbi hac de re loquendo dixit, magnã vim esse in moribus, & orationem moratam, κυριωτάτην πίστιν ἔχειν, *idest præcipuã fidem habere, quod fide dignum reddat eum, qui dicit. Et ne quis existimaret, vim oratoriam præcipue in moribus positam esse, subiecit, Persuasionem faciendam eße non vita, sed genere ipso orationis. Concedit ergo vitæ dignitatem magnum præbere adiumentum, si adsit, sed negat pertinere ad artificium orationis. Quæ doctrina valet ad confirmandum id, quod quarta positione docuimus: quam his verbis apud Tullium confirmat Antonius, Valet igitur multum ad vincendum probari mores, instituta, & acta, & uitam eorum qui agent caussas, & eorum pro quibus. Et alio loco scriptum reliquit, In homine uirtutis opinio valet plurimum. Opinio autem est, non modo eos virtutem habere, qui habeant, sed etiam eos qui habere videantur. Virtutem hanc fidei faciendæ a persona sua fuiße in M. Scauro, idem Cicero scribit, non quidem a doctrina, sed a natura: fatetur tamen etiam de hac re*

[Margin notes: Li.1.c.2 — Lib. 2. orat. — In Top. — In Brut.]

præcepta

præcepta dari, ut quis probus vir appareat. In Scauri, inquit, oratione sapientis hominis & recti grauitas summa, & naturalis quædam inerat auctoritas: non vt causam, sed ut testimonium dicere putares, cum pro reo diceret. Hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur: ad senatoriam vero sententiam, cuius erat ille princeps, vel maxime. Significabat enim non prudentiam solum; sed, quod rem maxime continebat, fidem. Habebat hoc a natura ipsa, quod a doctrina non facile poßet: quamquam huius quoq; ipsius rei, quemadmodum scis, præcepta sunt. Concludere igitur cum Aristotele licet, cur Oratores digni fide censeantur, præter argumenta esse tria, Prudentiam, virtutem, & beneuolentiam: tot enim sunt ea, quibus ad credendum inducimur. Nam prudentes non errant: boni non mentiuntur: amici vero non minus solliciti, quã nos de rebus nostris sunt. Lib. 1. Inu.

Sexta positio, qui Oratorem dicendi præceptis informaret, etiamsi virum bonum eum non efficeret, nihil de rep. male mereretur. Quoniam honestæ vitæ rationes explicare, non est Rhetoris munus, sed eius qui mores tractat. Adde etiam, quod supra probatum fuit, Oratorem bonum eße posse, etiamsi non fuerit vir bonus. Licet ergo sit hominis pij pietate suos discipulos informare, idque ut supra diximus, in bono desideretur magistro: tamen ni faciat, non propterea vt perniciosus artifex reijciendus est.

Septi-

Septima positio, omnino optandum esset, ut orator sit vir bonus, atque in id opera poni deberet. Nam, ut præclare apud Tullium ait Crassus quo maior est eloquentiæ vis, hoc magis cum probitate coniungenda est. Vt recte aliquando Cicero existimauerit, sapientiam sine eloquentia parum prodesse ciuitatibus, eloquentiam sine sapientia nimium obesse plerunque, prodesse nunquam. Quare, si quis, omissis rectissimis atque honestissimis studijs rationis & officij, consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, perniciosus patriæ ciuis alitur: qui uero se armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriæ, sed pro his propugnare possit, is mihi & suis, & publicis rationib. utilissimus atque amicissimus ciuis fore videtur.

Lib. 1. Inu.

Octaua positio, etsi Christianus orator, siue concionator aliquis esse possit, sine maiore vitæ probitate: nunquam tamen erit perfectus, ni cum dicendi facultate pietatem coniunxerit, ita ut nec a doctrina, nec a moribus ei quicquam desit. Nam, alia quædam est nostrorum, atq; antiquorum oratorum ratio; cum nostri non solum recte sentiendi, sed etiã recte agendi se magistros præbeant, idque habeant propositum, ut alios bonos faciant; & ad honeste et pie uiuendum impellant, id quod illis propositum nõ erat. Atqui id nunquam absolute is efficiet, qui uirtutis uim non sentit, qui vitiorum maculas non abhorret, qui quod ore docet, moribus destruit, cum magis ad honestam uitam moueant exempla, quam

uerba: neq; enim ut præclare scripsit Aristoteles,
indocta plebs, uulgusq; distinguit: sed hac de re alibi
fusius lib. 1. de Oratore diuino dißeruimus: qui plu-
ra uolet, hunc locum consulat. sed iam allatis in con
trarium rationibus respondeamus; ex quarum solu-
tione nostra sententia adhuc magis confirmabitur.

De prima, quod attinet ad illã Catonis definitionẽ;
nisi in grauissimũ Censorem cẽsura uti uelles, diceres,
eum docere uoluisse, qualis debeat esse orator, ut sit
reip. vtilis ac salutaris, cuiusmodi nõ erit, nisi sit uir
bonus, ut docuimus: Vel dicas, intelligendum eße eo
modo, quo illi antiqui bonum agricolã, bonũq; colo-
num appellabant, ut in primo diximus fundamento.
Cicero uero dũ suum oratorem sapientem facit, uult
eum maximarum rerum cognitione esse peritum: at-
qui sapientia longe a uirtute distat, nec sunt ista duo
necessario consociata. Ideo apud eundem Craßus, Lib. 3. orat.
virtutis exempla a Romanis, doctrinæ uero a Grȩcis
petenda esse ait. Et qui olim erant dicendi & agendi
magistri, non neceßario ijdem erant virtute ornati;
cum aliud sit uim naturamq; uirtutis cognoscere, &
aliud studiose viuere. Philosophabantur itaque uer- Orat. p M. Cœl.
bis, sed non re, ut fere Græci omnes, auctore nõ uno
in loco Tullio; ac proinde sibiipsis non sapiebãt, idest
non erant sibi utiles, sed alijs quos instituebant. Et
quid mirũ, si Epicureum oratorem respuat Cicero,
dũ de eo loquitur oratore, quẽ uult esse publici consi-
lij auctorem, & regendæ ciuitatis ducẽ, & sententiæ
atque eloquentiæ principem, in Senatu, & populo,
in

in caussis publicis de eo nimirum, qui sit futurus vtilis. Huc etiam pertinent verba, quæ ex Crasso citantur.

De secunda, hæc ratio id probat, quod in quarta positione docuimus: & quomodo accipienda sit, satis ex vltimo fundamento constat. Cum vero Antonius omnia summa in oratore requirit, ea intelligit quæ, ex se, ad Oratorem constituendum sunt necessaria, non omnia simpliciter: illa si habebit, optimus erit Orator, & omnes habebit eloquentiæ laudes; nec vt aliquid ei condonetur necesse erit. Quare, licet auctoritas Senatoria, vel aliquis alius honoris gradus, corporis quædam dignitas, & gratia Oratori desint: tamen ista ad propriam eius perfectionem non pertinent: alias qui non esset pulcher, qui nullo in gradu esset constitutus, Orator perfectus esse non posset; quod est omnino falsum. Et, si quid ista Fabij ratiocinatio concluderet, ex ea colligere liceret, nihil in suo genere esse perfectum, si ei absint quæ sunt in alijs generibus perfectiones: non formica, non bos, non homo, non cœlum, non Angeli, nulla denique creata natura.

De tertia, commendemus hoc loco Quintilianum licet, qui noluerit nauim perforari in qua ipse nauigabat, quod obesse reip. nolit: cæterum, nihil peccabimus, dum Oratorem instituimus, qui eloquentia aliquando abusurus sit: sicuti nec natura, vel Deus naturalem eloquentiam hominibus tribuendo, quicquam peccauit. Non itaque natura, aut qui natura-

turalem eloquentiam docendo perfecit culpandus est, sed deprauata hominis uoluntas, quæ quod a natura ad hominum salutem, & conseruationem, ut Tullius ait, datum fuit, in pestem perniciemque conuertit. Quare, ut tu Fabi recte disputas contra eos qui damnant eloquentiam, ob eam caussam, quod nonnulli ea abutantur; eadem ratione quispiam contra te disputaret, dum damnandos esse affirmas, qui institueret Oratorem, quē non faceret virum bonū. Lib. 2. offic. Lib. 2. c. 16.

De quarta, quid ad hanc rationem respondendū sit, satis ex doctrina in tertio fundamēto allata manifestum esse puto. Potest itaque honesti doctrina, bonique cognitio in homine turpi & parum bono reperiri: qui si dicendi facultate sit præditus, illa eadem suadere poterit: sapentissimus omnium hominum Salomon: & tamen aliquando non bonus. Cum ergo vir improbus, doctrinam aliquam capesce re possit, in uno & eodem homine rerum præclarissimarum notitia, & inhonesta vita poterunt reperiri: cum illa in animo, hæc in uoluntate sita sit, ut Philosophi docent. Cum ergo certissime constet, multos homines fuiße improbos & simul multarum rerum notitia præditos; ista duo non adeo inter se pugnant, ut simul esse non queant.

Quod quincto loco obijcitur, ex ijs soluitur, quæ de duplici prudentiæ & stultitiæ genere diximus. Stultus itaque is proprie dicitur, ut Tullius ait, qui inconstans est, & sanitate mentis uacat: improprie vero per translationem, is etiam stultus vocatur, Cic. in Tus. quęstio. li. 3.

qui

qui honestatem negligit, & magis conscientiæ stimulis uult cruciari, quam ex legibus uiuere. Et licet improbo oratori desit prudentia morum, non tamen est expers prudentiæ artis.

De sexta ratione, orator qui ex arte recte appositeq; dicit, non est simulator, sed verus orator: neq; artem corrumpit, qui eam apte exercet; quamuis ex animi prauitate ea abutatur; cum donum a natura in utilitatem tributum, in perniciem conuertat. Immo bene erit, quod ad simulationem attinet, si malitiam suam & corruptelam tegere poterit, ne caussæ noceat. Prodest enim, ut Fabius recte ait, plurimum caussis, qui ex bonitate sua facit fidem. Nam qui dum dicit malus habetur, utique male dicit.

De septima, quamuis eloquentia, suapte natura, nec bona, nec mala sit: tamen, si finem in quem a natura nobis tributa fuit spectemus, dicemus esse Lib. 2. offic. *bonam. Huc facit hæc luculenta M. Tullij sententia, Nam quid tam inhumanum, quam eloquentiam a natura ad salutem hominum, & ad conseruationem datam ad bonorum pestem perniciemq; conuertere? Non tamen probãda sunt ea, quæ idem auctor huic* Lib. 3. orat. *sententiæ adiecit, cum dixit, Licere interdum impium, nefariumque defendere. Longe itaque melius hac in parte Fabius, cum dixit, Mutos nasci, & egere omni ratione satius fuisset, quam prouidentiæ munera in mutuam perniciem conuertere.*

De ultima, falsus est Quinctilianus Stoicorum sententia, existimando eloquentiam esse uirtutem:

de

de quibus Tullius loquendo, dixit, eos affirmare eloquentiam unam esse ex summis uirtutibus, quod omnes virtutes in sola ratione posuerint. Est quidem eloquentia virtus, si hoc nomen pro quacunque animi perfectione sumatur; non tamen propria, ut tu contendis: est etiam orator bonus, sed artis, non morum bonitate. Requirit Tullius in oratore bonitatẽ, ut prodesse hominibus possit, ut sit reip. utilis: sed non talem, qualem tu Fabi requiris; aut etiam tantam, quantam tu poscis, cum sine bonitate esse nullo modo posse contendas. Quod si uerum esset, quem mihi bonum summumque oratorem dares? Demosthenem? M. Tullium? qui non fuerunt omnino boni, aut saltem perfecti in vitæ officijs. Et, ut tecum tabulis obsignatis agam, cur huic tuo bono oratori, ut supra dicebam, hanc facultatem tribuis, ut mentiri, falsa tueri, pro sceleratis dicere possit, si absque morum probitate nequit consistere? cum tamen quæ ei concedis, cum uitæ honestate pugnent: ut & illud, cum ais, Vbi uero animis iudicum uis afferenda est, et ab ipsa ueri contemplatione abducenda mens, ibi proprium oratoris opus est. Vide Fabi, ut plane asseris oratoris esse proprium iudicem a ueri contemplatione abducere, quod non oratoris, sed hominis improbi & mendacis esse, etiam stultissimus quisque diceret. Quare, non secus erras, cum oratorem uirum bonum, et dicendi peritum esse definis, ac si Grammaticum loquendi & canendi, seu Geometram metiendi & medendi peritum esse diceres. Lib. 6. c. 2.

In summa, cum in cæteris facultatibus non requira-tur bonitas; nec etiam in oratore constituendo re-quirenda erit: sed potius optanda, vt apud Cicero-nem Craßus facit. Quæ, inquit, (eloquentiam in-telligit) quo maior est, hoc magis probitate iungen-da est, atque prudentia: quarum rerum expertibus, si dicendi copiam tradiderimus, non eos quidē ora-tores effecerimus, sed furentibus arma quædam de-derimus: Ac si dixisset, nisi orator probitate, & prudentia sit ornatus, non erit reip. vtilis: & ideo alibi, cum enumerauit omnia quæ vel a natura, vel ab arte in oratore perfecto desiderantur, de bo-nitate dixit nihil. Sed de his satis superque dictum puto.

Lib. 3. orat.

Lib. 1. orat.

De oratoris officio in caussis suscipiendis atque tractandis. Disp. 9.



VONIAM *vero in tradendis discen-disq; eloquentiæ præceptis, omnis fru-stra suscipitur labor, nisi quæ docen-tur atque discuntur per caussarum su-sceptionem ad vsum lucemque publicam, ut alibi di-ximus, traducantur; propterea, dum de Oratoris officio scribimus, quid in caussis suscipiendis & tra-ctandis eum facere oporteat, præmonendum duxi-mus, cum id maxime officij rationem attingat, et pro xime ad nostrum institutum pertineat. Quæ autem hac in parte nobis dicenda sunt, ea fere omnia ab*

opti-

optimo oratoris institutore Fabio sumemus, & quæ ipse non omnino plane dixit, nos breuiter, perspicueque ad quædam capita reuocando, quibusdam positionibus perstringemus.

Prima positio, quod attinet ad tempus in quo causæ suscipiendæ sunt, non debet esse nimis acerbum, aut maturum. Tenendus itaque est, vt ait Fabius, quidam modus, vt neque præpropere distringatur matura frons, & quidquid est illud adhuc acerbum proferatur. Nam inde, & contemptus operis innascitur, & fundamenta iaciuntur impudentiæ, & quod est ubique perniciosissimum, prævenit vires fiducia. Nec rursus differendum est tirocinium in senectam. Nam quotidie metus crescit, maiusque fit, quod semper ausuri sumus: & dum deliberamus quando incipiendum sit, incipere iam serum est. Quare fructum studiorum viridem & adhuc dulcem promi decet, dum & venia, & spes est, & paratus fauor, & audire non dedecet, & si quid desit operi supplet ætas, & si quæ dicta sunt iuueniliter, pro indole accipiuntur, & quæ apud Fabium sequuntur: vbi, quid faciendum in hac re sit M. Tullij confirmat exemplo.

Secunda positio, quod attinet ad caussas suscipiendas, caussæ malæ defendendæ non sunt. Doctrina est Fabij, quam, vtinam nostris temporibus Aduocati, qui non modo homines, sed & Christianos homines se esse profitentur, animaduerterent, & obseruarent. Et certe, inquit ipse, non conuenit ei,

quem oratorem esse uolumus, iniusta tueri scientem. Verum, non me fugit, hunc dicendi magistrum hac in parte secum pugnare. Quare non placet, vt etiam supra admonui, quod libro secundo de officijs docuit M. Tullius: qui cũ dixisset, inhumanũ esse eloquentia abuti, hæc adiecit verba. Nec tamẽ vt hoc fugiendum est, ita habendum est religioni contrariũ, nocentem aliquando, & nefarium impiumq; defendere. Vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas. Sed fortasse hæc sententia in meliorẽ sensũ, ex ijs quę subijcit, trahi posset. Iudicis est semper in caussis uerũ sequi, patroni nonnunquã uerisimile, etiamsi minus sit verum, defendere.

D. Tho. 2.2.q. Sot. li.5. de iust. & iur. q. 5.art.3.

Tertia positio, dubia caussa suscipi potest; sed eius iniquitate detecta, abijcienda est. Neq; uero, ait Fabius, pudor obstet, quo minus susceptam, cum melior uidetur, litem, cognita inter dicendum iniquitate, dimittat, cum prius litigatori dixerit uerum. Nam, & in hoc maximum, si ęqui iudices sumus, beneficium est, ut non fallamus uana spe litigantem. Neque est dignus opera patroni, qui non utitur consilio. Et certe non conuenit ei, quem oratorem esse uolumus iniusta tueri scientem. Huc pertinet hoc Catoniani auctoris distichon,

Quod nosti haud recte factum, nolito tacere,
Ne uideare malos imitari uelle tacendo.

Quarta positio, etsi melius ac tutius sit defensionẽ quã accusationem suscipere: tamen accusationes etiã suscipiendę sunt. In quibus (de caussis suscipiendis la-

qui-

quitur Fabius) defendere quidem reos profecto, quã facere, uir bonus malet: non tamen ita nome ipsum accusatoris horrebit, ut nullo neq; publico, neq; priuato duci possit officio, vt aliquẽ ad reddẽdã rationẽ vitæ uocet. Nã, & legis ipsę nihil ualeãt, nisi actoris idonea voce munitę: etsi pęnas scelerũ expetere fas nõ est, prope est, ut scelera ipsa permissa sint: & licẽtiã malis dari, certe cõtra bonos est. Quare, neq; sociorũ querelas, nec amici, uel propinqui necẽ, nec erupturas in rẽp. conspirationes inultas patietur orator: non pęnę nocentiũ cupidus, sed emẽdandi uitia, corrigẽdiq; mores. Nã q rõne traduci ad meliora nõ possũt, solo metu cõtinẽtur, et q̃ apud Fabiũ sequũtur. Prou. 24. Cic. pro Deiot.

Quinta positio, bonus orator non dedignabitur minores etiã caussas suscipere; nec ita se eloquentiorem putet, quam ut caussas agat. Nec illo fastidio, ait Fabius, laborabit orator, nõ agendi caussas minores, tã quã ĩfra eũ sint, aut detractura sit opinioni minus liberalis materia. Nã et suscipiẽdi ratio iustissima est officium, & optandum etiam, ut amici quã minimas lites habeant: & abunde dixit bene, qui rei satisfecit. At quidã etiamsi forte susceperunt negocia paullo ad dicendum tenuiora, extrinsecus adductis ea rebus circumliniunt: ac si defecerint, alia cõuiciis implent uacua caussarum: si contigit veris; si minus, fictis, modo sit materia ingenii, mereaturque clamorem, dum dicitur. Sexta positio, bonus orator neminem a sua tutela excludat, sed suę eloquentię portum omnibus, quantum fieri per eum poterit,

aperiat, præsertim amicis, & ijs quos iudex commendabit, ut Fabius monet: qui & hoc etiam addit, ne quid ambitiose, vel pro potentibus contra veritatem, vel pro humilibus contra dignitatem faciamus. Hoc itaque officium in omnes adhibendum est, præsertim erga quos aliena vis opprimit, aut inopia tenet. Huc pertinet illa Sapientis admonitio, Erue eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceßes: atque etiam hæc pulcherrima summi oratoris sententia, Nihil est tam populare, quam bonitas: nulla de uirtutibus, nec gratior, nec admirabilior misericordia: homines enim ad Deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando. Et Catonianus auctor,

Prou. 24

Cic. pro Deiot.

Si potes ignotis etiam prodesse memento:
Vtilius regno meritis acquirere amicos

Non solum itaque in amicos oportet esse beneficum, verum etiam ignotis consulendum est; ut nobis amicos & beneuolos comparemus, qui firmiores sunt, quam qui regno subijciuntur.

Septima positio, cum in forum, siue in lucem publicam venitur, auspicandum est a caussis facilioribus & minus grauibus. Id ratio ipsa suadet, & hæc Fabiana sententia monet, Cæterum, illum quem iuuenem, tenerisq; adhuc viribus nitentem, in forum deduximus, & incipere a quam maxime facili ac fauorabili caußa uelim, ut catuli ferarum molliore præda saginantur: & non utique ab hoc initio

con-

continuare operam: & ingenio adhuc alendo callum inducere, sed iam scientem quid sit pugna, & in quam rem studendum sit, refici atque renouari. Sic & tirocinij metum, dum facilius est audere, transierit, nec audiendi facilitatem usque ad contemptum operis adduxerit. Vsus est hac ratione M. Tullius, &c.

Octaua positio, qui suo officio satis facere voluerit Orator, non plures caussas suscipiet, quam tueri potest. Id, & ratio ipsa docet, & Fabius admonet; et ut admonitio est in promptu, ita facile a multis, non sine clientum detrimento, negligitur; ut alibi de aduocatorum officio agentes, docuimus. In lib. de legib.

Nona positio, quod ad finē attinet, in caussis agendis duo potissimum fines hoc præstantissimum munus fœdare ac corrumpere solent, lucrum, & ambitio, siue laudis parandæ cupido, quos fines omnino vitare debebit, qui honeste hanc præclarissimam artem exercere uoluerit. Quod ad lucrum attinet, ideo lucri cupiditas uitanda est, quia, ut ait Cicero, Nihil est tam sanctum quod non inuiolari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit; de qua re ita speciatim statuit, Fab. Quinctilianus, Nam quis ignorat, quin id longe sit honestissimum, ac liberalibus disciplinis, & illo quem exigimus animo dignissimum, non uendere operam, nec eleuari tanti beneficij auctoritatem? cum pleraque hoc ipso possint uideri uilia, quod precium habent. Cæcis hoc, ut aiunt, satis clarum est: nec quis-

quam qui sufficientia sibi (modica autem hæc sunt) possidebit, hunc quæstum sine crimine sordidum fecerit. At, si re familiaris amplius aliquid ad vsus necessarios exiget, secundum omnium sapientium leges, patietur sibi gratiam refferri: cum & Socrati collatum sit ad victum, & Zeno, Cleanthes, Chrysippus mercedes a discipulis acceptauerint. Neque enim uideo, quæ iustior acquirendi ratio, quam ex honestissimo labore, & ab ijs de quibus optime meruerint, quique sibi nihil inuicem præstent, indigni fuerint defensione. Quod quidem non iustum modo, sed necessarium etiam est, cum hæc ipsa opera, tempusque omne alienis negocijs datum, facultatem aliter acquirendi recidant. Sed tum quoque tenendus est modus; ac plurimum refert, a quo accipiat, & quantum, & quousque. Paciscendi quidem ille piraticus mos, & impotentium periculis precia, prorsus abominanda negociatio, etiam a mediocriter improbis aberit: cum præsertim bonos homines, bonasque caussas tuenti non sit metuendus ingratus; qui si futurus, malo tamen illo peccet. Nihil ergo adquirere uolet orator ultra quam satis erit: ac ne pauper quidem tanquam mercedem accipiet, sed mutua beneuolentia vtetur, cum sciet se tanto plus præstitisse, quia nec uenire hoc beneficium oportet, nec perire. Denique, ut gratus sit, ad eum magis pertinet, qui debet. Hæc Fabius: qui de ambitione, siue de inanis glorię cupiditate uitanda, hęc quę su-

bij-

*bijciam monuit: Ante omnia, ne quod plerisque ac-
cidit, ab utilitate eum caussę, prẹsentis cupido lau-
dis abducat; & quę apud ipsum sequuntur: ubi eos
reprehendit, qui laudis aucupandę gratia, illud di-
cēdi genus sequūtur, quod aures demulcet, non quod
est caussę accommodatum; & ex M. Antonij senten
tia artem dissimulandam docet; & concludendo, ait,
Finem tamen hunc prẹstabit orator, ut uideatur op
timam caussam optime egisse. Illud certum erit,
neminem peius agere, quam qui displicente caussa
placet: necesse est enim extra caussam sit, quod pla-
cet. Verum, ut leuitatis est inanem aucupari rumo
rem, et omnes umbras etiam falsę glorię consectari;
sic leuis est animi, ut Cicero ait, lucem, splēdoremq;* In Pis.
*fugientis, iustam gloriam, qui est fructus uerę uirtu-
tis honestissimus, repudiare. Quoniam, ut idem scri-
bit, Ex omnibus prẹmijs virtutis, si est habenda ra-* Pro Mil.
*tio prẹmiorum, amplissimum est prẹmium gloria:
est hęc una, quę breuitatem vitę, posteritatis me-
moria consolatur: quę efficit, ut absentes adsimus,
mortui viuamus: hęc denique est cuius gradibus ho
mines in cęlū videntur ascendere. Et sane, qui hone-
sta gloria nō alitur animus, is nunquā aliquid prẹcla
rū aget, sed omnia frigide et remisse. Bonus itaq; pa-
tronus, ut hunc locum concludam, lucri cupiditate,
popularisq; aurę captādę studio posthabito, ueram
solidamque gloriā ex diligenti accurataque caussa-
rum tractatione natam, sibi proponat, sibique cum
aduersario, vel ęmulo honeste certandum putet,*

vt

vt Tullius cum Hortensio fecit. Qui, quanta cum contentione caussæ a bono patrono agendæ sint, & suo exemplo docuit, & aliquãdo his uerbis exposuit, Si a uobis, iudices deserar; tamen animo nõ deficiã, & id quod suscepi, quod potero perferam: quod si perferre non potero, opprimi me onere officij malo, quam id quod mihi cum fide impositum est, aut propter perfidiam abijcere, aut propter infirmitatem animi deponere.

In Rosc.

Decima positio, quod attinet ad modum suscepti caussæ tractandæ, hæc ex Fabij doctrina seruanda sunt. Primũ, caussa diligenter cognoscenda est, quod vt ipse ait, est orationis fundamentum. Contra hoc præceptum faciunt negligentes; quorum nihil refert, ubi litium cardo uersetur: qui paullo ante quã dicant, sibi caußam cognitam fuisse ambitione quadam gloriari uolunt, quorum inanitatem perbelle describit Fabius: qui suos amicos, doceri iubent: qui solis libellis sunt contenti, & potius ab aduersarijs, quam ex clientibus discunt. Liberum igitur, ait citatus auctor, demus ante omnia ijs quorum negocium erit, tempus ac locum, exhortemurque ultro, ut omnia quamlibet uerbose, & unde uolent repetito tẽpore exponant. Non enim tam obest audire superuacua, quam ignorare necessaria. Nec tam sit acturo memoriæ fiducia, ut scribere audita pigeat; nec semel audisse sit satis: cogendus eadem iterum ac sæpius dicere litigator: non solum quia effugere aliqua prima expositione potuerunt, præsertim homi-

minem, quod sæpe euenit, imperitum, sed etiam ut sciamus, an eadem dicat. Plurimum enim mentiuntur, & tanquam non doceant caussam, sed agant, non ut cum patrono, sed ut cum iudice loquuntur. Quapropter nunquam satis credendum est, sed agitandus omnibus modis, & turbandus, & euocãdus. Nam, ut medicis non apparentia modo uitia curanda sunt, sed etiam inuenienda quæ latent, sæpe ea, ipsis qui sanandi sunt, occulentibus; ita aduocatus plura, quam ostenduntur, aspiciat. Nam, cum satis in audiendo patientiæ impenderit, in aliam rursus ei personam transeundum est, agendusq; aduersarius: proponendum quicquid omnino excogitari contra potest, quicquid recipit in eiusmodi disceptatione natura. Interrogandus quam manifestissime, ac premẽdus. Nam dum omnia quærimus, aliquando ad uerum, vbi minime expectauimus, peruenimus. In summa, optimus est in di.endo patronus incredulus. Promittit enim litigator omnia, testem populum, paratissimas consignationes, ipsum denique aduersarium quędam non negaturum. Ideo necesse est uidere omne litis instrumentum: quod uidere nõ est satis; perlegendum erit. Nam frequentissime, aut non sunt omnino quę promittebantur, aut minus cõtinent: aut cum alio aliquo nocitura permista sunt: aut nimis sunt, & fidem hoc ipso detractura, quod non habent modum, & quę apud Fabium sequuntur. Vbi tandem concludit, patrono, etiam iudicis personam induendam esse, ita ut fingat apud se caussam

sam

ſam agi, & quod ipſum mouiſſet de eadem re pronunciaturum, id potiſſimum apud quemcunque agetur, exiſtimet: & ſic eum raro fallet euentus; aut culpa iudicis erit. Deinde, vbi cauſſa diligenter cognita fuerit, quæ dicturus eſt, non modo cogitata, ſed etiam ſcripta habeat. Dicet, inquit Fabius, ſcripta quam res patietur plurima, & ut Demoſthenes ait, ſi continget, & ſculpta. Sed quoniam in cauſſis agendis interdum ſubito reſpondendum eſt, per exercitationem paranda eſt facultas ad ſubito dicendum. Et cum in propoſitione & refutatione cauſſa conſiſtat, quæ noſtræ partis ſunt, ſcripta eſſe poßunt; quæ etiam reſponſurum aduerſarium certum eſt (eſt enim aliquando certum) pari cura refelluntur. Ad alia, vnum paratum afferre poſſumus, ut cauſſam bene nouerimus: alterum ibi ſumere, ut dicentem aduerſarium diligenter audiamus. Poſtremo, omnia cum modeſtia dicat, & a maledicentia, quantum fieri poteſt, abſtineat. Quare nihil extra rem obijciat, niſi id cauſſa requirat. Ea eſt enim prorſus canina; ut ait Appius, eloquentia, cenſuram maledicendi ſubire: quod facientibus, etiam male audiendi præſumenda patientia eſt. Nam, & in ipſos fit impetus frequenter, qui egerunt, & certe patroni petulantiam litigator luit. Turpis uoluptas, & inhumana, & nulli audientium bono grata:

ta : a litigatoribus quidem frequenter exigitur, qui ultionem malunt, quam defenſionem. Sed ne a iis multa ad arbitrium eorum facienda ſunt. Hoc quidem quis hominum liberi modo ſanguinis ſuſtineat, petulans eſſe ad alterius arbitrium. At qui etiam in aduocatos partis aduerſæ libenter nonnulli inuehuntur : quod, niſi forte meruerunt, & inhumanum eſt reſpectu communium officiorum, & cum ipſi qui dicit inutile (nam idem iuris reſponſuris datur) tum cauſæ contrarium, quia plane & aduerſarij fiunt, & inimici: & quantulumcunque his uirium eſt, contumelia augetur. Super omnia perit illa quæ plurimum oratori & auctoritatis & fidei affert, modeſtia, ſi a uiro bono in rabulam, latronemque conuertitur, compoſitus, non ad animum iudicis, ſed ad ſtomachum litigatoris. Frequenter etiam ſpecies libertatis deducere ad temeritatem ſolet, non cauſſis modo, ſed ipſis quoque qui dixerunt, periculoſam. Nec immerito Pericles ſolebat optare, ne quod ſibi uerbum in mentem ueniret, quod populus offenderet. Sed quod ille de populo, id ego, ait Fabius, de omnibus ſentio, qui tantundem poſſunt nocere. Nam, quæ fortia dum dicuntur, uidebantur, ſtulta cum læſerunt, uocantur.

Vndecima poſitio, quoniam Orator non ſolum ſcientia conſtat, quæ augetur annis, ſed & uoce, & laterum firmitate, quibus fractis,

aut

aut imminutis ætate, seu ualetudine, cauendum est, ne quid in oratore summo desideretur, ne intersistat defatigatus, ne quæ dicet, parum audiri sentiat, ne se, ut Fabius loquitur, quæratur priorem: ideo, ubi cum suo officio optime in senatu, in concione, foro ue functus fuerit, finem faciet, non quia prodesse unquam satis sit; sed quia decet hoc etiam prospicere, ne quid peius quam fecerit, faciat. Probat hoc, citatus auctor, exemplo Domitij Afri, qui cum prius regnasset in foro, factus senes, quotidie aliquid ex ea quam meruerat auctoritate perdebat, ita ut alij eum riderent, alij erubescerent: quæ occasio illis fuit dicendi, Malle eum deficere, quam desinere. Neque erant illa qualiacunque mala, sed minora. Quare antequam in has ætatis ueniat insidias, receptui canet, & in portum integra naue perueniat.

Lib. 12. c. 11.

Duodecima positio, orator dicendi munere posito, ne inutilis uiuat, aut posteris rerum monumenta tradet, aut eloquentiæ artem componet, aut pulcherrimis vitæ præceptis dignum os dabit, ut monet Fabius. Frequentabant uero eius domum optimi iuuenes, more ueterum, & ueram dicendi uiam, ueluti ex oraculo petent. Hos ille formabit quasi eloquentiæ parens, & ut uetus gubernator, litora & portus, & quæ tempestatum signa, quid secundis flatibus, quid aduersis ratis poscat, docebit: non humanitatis solum communi ductus

offi-

officio, sed amore quodam operis: Nemo enim minui velit id, in quo maximus fuit. Quid porro est honestius, quam docere quod optime scias? Sic ad se Cœlium deductum a patre Cicero profitetur: sic Pansam, Hirtium, Dolabellam in morem præceptoris exercuit, quotidie dicens, audiensque.

Atque hæc sunt, quæ in hac disputatione breuiter colligenda potius; quam scribenda duxi; cum longe plura, & fortasse meliora, aut accuratius explicata afferre potuißem, si hac in pa te longior eße uoluissem: cum non me lateat, quot quantaque de oratoris, siue aduocati officio scribi potuissent. Et cum hactenus de tribus primis, ac priuatis oratoris muneribus satis abunde scripserim, huic operi finem facere poßem, faceremque, ni ad omnia, quę hactenus de rhetoricis scripsimus absoluenda, duo alia oratoris officia, quę sunt meminisse & agere, mihi explicanda restarent: de quibus, cum nolim duo integra opera seorsim conficere, ideo huic de oratoris officio opusculo, quę de memoria & actione scribenda esse iudicaui, adijcere uolui.

Quare, cũ, ut quidam scribunt, quinq; sint oratoris munera, inuenire, disponere, eloqui, meminisse, et agere, quorum primum confert ad docendum, secundum ad delectandum, tertium ad mouendum, de quibus tribus primis libris, & in alijs operibus abunde cripsimus, restat ut de memoria, & pronuntiatione,

ne aliquid dicamus, quod duobus consequentibus libris faciemus. Et primum quidem de actione, eam ob caussam, quod magis ad eloquentiæ naturam ac finem pertinere videatur. Vt igitur quod restat, absoluamus, sit huic libro finis.

Libri Tertij finis.



DE OFFICIO ORATORIS LIBER IIII.

In quo de actione agitur.

Quanta sit actionis utilitas atque necessitas. Disp. I.

T S I *in altero de Arte dicendi libro ea de pronuntiatione scripsi, quæ ad eius naturam ac uim cognoscendam necessaria esse uidentur: tamen, cum tanta sit huiusce eloquentiæ partis necessitas, magna cum difficultate coniuncta; ut a quibusdam ob necessitatem prima bene dicendi pars existimata, & ob difficultatem a multis, vel silentio præterita, uel leuiter tacta fuerit; integrum librum, paullo subtilius atque fusius de ea agendo, mihi conficiendum esse existimaui.*

Verum, in eo huius operis confectio mihi erit expeditior, quod nihil hac in parte sit necesse ullas dubitandi rationes in medium afferre; cum nullæ, aut paucæ, & minoris momenti in hac tractatione occurrant dubitationes, auctorumq; variæ sententię: uerum, si quæ difficultates, opinionesue incident, eas obiter breuiterq; attingemus.

Quod igitur nobis faciendum uidetur, illud est,

vt rem paullo obſcuriorem, & implicatiorem plæne diſtincteq; exponamus. Id autem fiet, ſi de nostro more, quæ dicenda ſunt, ad diſputationes, capitaque, & poſitiones reuocabimus. Supponimus autẽ hoc loco, quod alibi docuimus, agere de Actione munus eſſe Rhetoris, eamque eſſe unam e quinque Rhetoricæ partibus. Et quamuis loco citato de Pronuntiationis natura & partibus ſcripſerim: tamen hic etiam nonnulla, præſertim de actionis partibus, quas priuatim exponam, mihi dicenda ſunt. Rem igitur aggrediendo, quæ hac prima diſputatione dicenda occurrunt, ſequentibus poſitionibus complectar.

Lib. de arte dicen.

Prima poſitio, pronunciationis, ſiue actionis explicatio non eſt facilis. Hanc poſitionem in eum finem ſtatuo, vt Lectores me excuſatum habeant, ni omnino perſpicue, quæ de ſuſcepta materia dicenda ſunt, explicauero. Rem eſſe explicatu difficilem, illud in primis demonſtrat, quod artificioſa pronuntiandi ratio, Ariſtotelis temporibus, nondum fuerat tractata. Deinde, quoniam pauci extiterunt, uel certe extant, qui de ea accuratius ſcripſerint; & qui ſcripſerunt, uel pauca, uel non ſatis diſtincte huius artis præcepta tradiderunt. Scripſit pauca quædam ad finem tertij ſermonis de oratore M. Tullius: totidem fere, ſed parum bene, auctor Herennianus: his paullo accuratius, & copioſius, ſed non omnino perſpicue, Quinctilianus: a quo quæ poſteriores dixere, omnia fere acceperunt. Poſtremo,

Auct. Her.

Lib. 3. rhet. c. 1.

Lib. 1. cap. 11. lib. 11. cap. 3.

mo, quoniam nemo, ut arbitror, diceret, varias vocis, uultus, gestusque formas scriptura facile explicari posse.

Concludam itaque, & cum Hereniano auctore dicam, Non sum nescius, quantum susceperim negotij, qui motus corporis exprimere verbis, & imitari scriptura conatus sim uoces. Verum nec hoc confisus sum posse fieri, vt de his rebus satis commode scribi posset: nec, si id fieri non poßet, hoc, quod feci, fore inutile putabam: propterea quod hic admonere uoluimus, quod oporteret, reliqua trademus exercitationi. Hoc tamen scire oportet, pronuntiationem bonam id perficere, vt res exanimo geri videatur. Item, Quare, quia nemo de ea re diligenter scripsit (nam omnes vix posse putarunt de uoce, uultu, gestu dilucide scribi, cum hæ res ad sensus nostros pertinerent) & quia magnopere ea pars a nobis ad dicendum comparanda est, non negligenter videtur tota res consideranda. Et M. Tullius cum difficultatem artis dicendi demonstraret, de actione ita scripsit, Nam quid ego de actione ipsa plura dicam? quæ motu corporis, quæ gestu, quæ vultu, quæ uocis conformatione, ac uarietate moderanda est. Quæ sola per seipsa quanta sit, histrionum leuis ars, & scena declarat. In qua cum omnes in oris, & uocis, & motus moderatione laborent, quis ignorat, quam pauci sint, fuerintque, quos animo æquo spectare possimus.

Secunda positio, recta pronuntiandi ratio est

Oratori maxime vtilis, & necessaria; ita vt in Oratorum numerum uenire minime possit, qui hac eloquentiæ parte non fuerit excultus. Hoc affirmauerim contra quosdam, qui, vel naturalem pronunciandi rationem sufficere, uel artificiosam non magni faciendam esse existimarunt.

Hanc positionem primum quibusdam auctoritatibus confirmabo: Herennianus auctor, cum hac de re uerba faceret, hæc scripta nobis reliquit, Nos, quid unum de quinque rebus plurimum prosit, non facile dixerimus: nec egregie magnam esse utilitatē in pronūtiatione sola audacter cōfirmauerimus. Nā commodæ inuentiones, & concinnæ uerborum eloqutiones, et partiū caussæ artificiosæ dispositiones, & horum omnium diligens memoria sine pronuntiatione, non plus, quam sine his rebus pronuntiatio sola ualere poterit.

Lib. 3.

M. Tullius, cum de eo quod decet disputaßet, hæc uerba subiecit, sed hæc ipsa omnia perinde sunt, ut aguntur. Actio inquam una in agendo dominatur. Sine hac summus orator eße in numero nullo potest, mediocris hac instructus summos sæpe superare. Et alio loco, Neque enim refert, inquit, uidere, quid dicendum sit, nisi id queas solute & suauiter dicere: ne id quidem satis est, nisi id quod dicitur, sit uoce, vultu, motuq; conditum.

Lib. 3.

In Brut.

Accedat grauissima summi oratoris sententia, Demosthenis inquam, qui interrogatus, quid esset in dicendo primum? actionem: quid secundum? idem,

Cic. in Brut. & 3. orat.

Idem, & idem tertium respondit. Huic itaque pri-
mas, huic secundas, huic uni parti tertias sum-
mus dedit Orator. Is quantum in agendo potue-
rit, eius æmulus confessus est Aeschines. Nam,
cum apud Rhodios Demosthenis orationem, quam
contra Ctesiphontem dixerat, suauissima & maxi- Cic. li. 3.
ma voce legisset, admirantibus omnibus, Quan- orat.
to, inquit, magis admiraremini, si audissetis ipsum?
Equidem, inquit Fabius, vel mediocrem oratio-
nem commendatam viribus actionis, affirmauerim
plus habituram esse momenti, quam optimam ea-
dem illa destitutam. Nec piget hoc in loco pul-
cherrimam huc pertinentem Diui Bernardi adscri-
bere sententiam, qui quodam in loco, ita scribit, So- Epist. 66
let acceptior esse sermo uiuus, quam scriptus, &
efficacior lingua, quam litera: nec tam afficitum ex
primit scribens digitus, quam uultus. Non tam
enim quid dicas, aut quibus uerbis dicas, quam quo
vultu & actione dicas, attendere homines solent.
Est enim pronuntiatio velut externa orationis for-
ma, quæ tales in auditorum animis motus & affe-
ctus ingenerat, quales dicentis vox uultus, et gestus
præ se ferunt. Deinde, eandem positionem confir-
mare licet, ex nonnullis vtilitatibus quas recta pro
nuntiatio secum affert.

Prima, actio, uultus, gestusque ad animi sen-
sa exprimenda conferunt: ut patet in ijs, qui
cum uoce destituantur, nutibus pro uoce utuntur.
Immo quædam sunt, quæ sine gestu exprimi non pos-

sunt; vt ironiæ, sarcasmi, & affectus fere omnes; ita ut qui sine gestu loquitur, aliter sentire, quam dicit sæpe videatur: Vt, si quis de homine malo, cu-
In Brut. *ius malitia eßet ignota, sine gestu diceret, Bonus il-le vir. Laudat M. Tullius mirifice M. Calidij eloquentiam, qui non fuit orator vnus e multis, sed potius inter multos prope singularis; cui tamen cum sine motu, sine gestu caussam suam, leniter egißet, dictum fuit, Tu istuc M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres? præsertim cum ista eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrime soleas, tuū negligeres? Vides ut actionis ratio ueritatem tollit? Quam non solum demonstrat; sed mirum in modum amplificat. Valet itaque ad explicandum, & ad fidem faciendam mirum in modum bona pronunciandi ratio: ut cum Fabio concludere liceat, Quare, neque probatio ulla quæ modo uenit ab oratore, tam firma est, ut non perdat vires suas, nisi adiuuetur asseueratione dicentis.*

Secunda, confert mirum in modum ad delectandum, quod, nisi inurbanus, rusticus, & agrestis negaret nemo: cum duos præstantissimos sensus, aures & oculos, suauis elegans & decora afficiat pronuntiatio: non secus ac lumen & harmonia eosdem
In orat. *afficere solent: cum, ut Tullius aliquando scripsit, in pronuntiatione cantus quidam lateat, et actio sit*
De orat. per. *ueluti quoddam eloquentiæ lumen.*

Tertia, confert priuata quadam ratione ad mouendum, cum sine motu pronuntiata oratio mouere

nullo

nullo modo possit. Affectus omnes, inquit Fabius, languescant necesse est, nisi voce, uultu, totius prope habitu corporis inardescant. Et Cicero, Actio quæ præ se motum animi fert, omnes mouet: iisdem enim omnium animi motibus concitantur, & eos iisdem notis, & in aliis agnoscunt, & in se ipsi iudicant. Neque enim tam refert qualia sint quæ intra nosmetipsos composuimus, quam quo modo efferantur: nam ita quisque ut audit, mouetur. Lib. 3. orat. Fab.

Præterea, enuntiata sine pronuntiationis modo oratio, est ueluti imago quædam immobilis, tenebris circundata: accedente actionis lumine & spiritu, undique collucet, & quasi in vitam reuocata, seipsam & alios mouet, resque quarum uicem gerit, in lucem profert, oculisque subiicit.

Oratio sine actione, est lucerna sine luce, corpus sine animo, rudis pictura sine coloribus, cibus sine sale, nuntius sine spiritu & motu: quæ fidem non facit, sed abrogat: non delectat, sed tristitia afficit: non mouet, non inflamat, sed somnum & torporem adducit: Vt melior sit infantia cum gestu, quam eloquentia, etiam maxima, sine actionis uita. Quandoquidem & infantes, actionis dignitate, eloquentiæ fructum sæpe tulerunt: & diserti deformitate agendi multi infantes putati sunt. Quare, si eloquentia nulla sine hac, hæc autem sine eloquentia tanta est, certe plurimum in dicendo poterit. Cic. in orat.

Iam vero, ex oratione, seu ex verbis rebus ue uocibus significatis, & ex ipsa pronuntiandi forma

fieri debet veluti quoddam perfectum corpus; quare ista inter se cohærere oportet: quod sine certa actionis doctrina & forma nullo modo fieri poterit. Et hercle, ait Fabius, cum ualeant multum uerba per se, & uox propriam uim adijciat rebus, & gestus, motusque significent aliquid; profecto perfectum quiddã fieri, cum omnia coierint, necesse est. Contra uero, si ista inter se dissentient, monstrum portentosum fieri necesse est: quod quale sit ob oculos ut potero, tibi proponam.

Res sit grauis, sed actio rustica; illa lęta, hæc tristis: illa uelox, hæc tarda: illa aspera, hæc lenis: illa humilis, hæc elata: attollat oculos, qui deprimere, contrahat brachia, qui extendere, moueat se is, qui stare, clamat qui summiße loqui, indignetur qui suppliciter petere debet, & denique Orator, quasi eßet in scęna, Comędum agat. Quis aures? quis oculos ita patientes habeat, ut sine nausea tale mostrũ audiat, & uideat? Hominem, inquam, ore auerso, collo obtorto, humeris imparibus, brachijs fluentibus, manibus contractis, tibijs inęqualibus, toto denique corpore nutantem, uestemque humeris delapsam trahentem.

Contra uero quid iucundius exaudiri potest, quã humana uox uarie commutata, uarijsque flexibus corrugata? quæ una cum iucundissimo sono graues in aures infert sententias: & quid iucundius spectari, quam elegans oris, uultus, totiusq; corporis gestu in uarias quasi formas & aspectus scitissimos cõ muta-

mutatus? Placeat aliis ingratissima cuculli monoto-
nia, nobis vero iucundissimus lusciniæ cantus: pla-
ceat aliis ranarum clamor, nobis uero cygnea quæ-
dam uox: placeant aliis alicuius ridiculosæ simiæ
gesticulationes, nobis uero Rosciana quædam actio. Fab.li.x
Quæ si non eßet in bono oratore neceßaria, cur De- c.3.
mosthenes se agẽtem in speculo inspiciebat? cur cal-
culis in os iniectis pronunciandi difficultatem uin-
cere conabatur? cur ne corpus nimium agitaret, in
angusto suggestu hasta hincinde, imminẽte, ut illius
offensione commoneretur, dicebat? cur M. Tullius
Hortensium & Roscium diligenter obseruabat, ut
suam pronuntiationem augeret, faceretque meliorẽ?
Cur denique Aesopus & Roscius histriones gestus
moderationem ab eodem Hortensio petiuerunt?

Denique, ut hunc locũ concludam, an actio pluri-
mũ in dicendo ualeat, documẽto sunt, ut ait Fabius, Lib. x.
scenici actores, qui & optimis poetarũ tantum adii c.3.
ciunt grauitatis, ut nos infinite magis eadem illa au
dita, quam lecta delectent, et uilissimis etiã quibusdã
impetrẽt aures: ut quibus nullus est in bibliothecis
locus, sit etiã frequens in theatris. Quod si in rebus
quas fictas esse scimus & inanes, tantũ pronuntia-
tio potest, ut iram, lacrymas, solicitudinem afferat,
quanto plus ualeat neceße est, ubi et credimus?
Equidem, uel mediocrem orationem commendatam
uiribus actionis, affirmauerim plus habituram esse
momenti, quam optima eadem illa destituta.

Hęc ideo a me latius disputata sũt, quod multi hãc
eloquen-

eloquentiæ partem, quasi sit homine erudito, atq; religioso indigna, negligunt, & potius illam rudem, qualem animi cuiusque impetus tulit, approbant, fortioremque putant. Sed non alij fere, ut cum Fabio loquar, quam qui etiam in dicendo curam, & artem, & nitorem, & quidquid studio paratur, ut affectata & parum naturalia, solent improbare, uel qui uerborum, atque ipsius etiam soni rusticitate, ut L. Cottam dicit Cicero fecisse, imitationem antiquitatis affectant: uel etiam, ut existimo, illi, qui cum laborem fugiant, hac minus probabili ratione, suam ignauiam tueri uolunt: qui, cum alia ex ob doctrinæ copiam, atque orationis eloquentiam in bonis oratoribus haberi poßent, actionis dignitate contempta, nec a uulgo quidem libenter audiuntur.
In Brut. *Quanto melius P. Lentulus, qui cæterarum uirtutum dicendi mediocritatem, ut Cicero refert, actione occultauit, in qua excellens fuit. Demonstrata itaque recte agendi utilitate, atque necessitate, quo pacto hic dicendi splendor, hæc uenustas accedat, aperiamus.*

Tertia positio, caussæ efficientes pronuntiationis sunt quattuor; natura, ars exercitatio, imitatio. Natura dat instrumenta uocis & actionis: uocis instrumenta hæc sunt Lingua, quæ labiorum, dentiũ, palatiq; adminiculo uocem secat & moderatur, dictionem efformat: arteria, quæ est uocis uia: pulmo, qui est receptaculum inspirati aeris: fortia denique latera, & totius corporis firmitudo. Actionis

instru-

instrumenta naturalia, sunt caput, uultus, manus,
& quædā totius corporis conformatio: de hac caus-
sa, ita scribit Fabius, In hoc igitur non contumaci- Lib. x.
ter consentio, primas partes esse naturæ. Nam cer- c.3.
te bene pronuntiare non poterit, cui aut in scriptis
memoria, aut in ijs quæ subito dicenda sunt facili-
tas prompta defuerint: nec si inemendabilia oris
incommoda obstabunt: corporis etiam potest esse
aliqua tanta deformitas, ut nulla arte uincatur.
Sed, nec uox quidem nisi liberalis, actionem habe-
re optimam potest.

Ars est præceptionum ipsarum de pronuntiatio-
ne collectio, quibus vox & gestus corporis dirigun-
tur, & quod in natura erat boni, perficitur, & si
quid erat vitij, emendatur.

Exercitatio, est præceptionum de pronuntiatio-
ne ad vsum accommodatio: quæ vocem, actionemq;
priuata, uel publica declamatione auget. Qua autē
ratione exercitatio fieri debeat, postea dicetur.

Imitatio est, qua quos uidemus, uel audimus præ-
clare vocem & actionem moderari, cum studio æ-
mulamur. Hæ igitur sunt pronuntiationis efficien-
tes caussæ: materia, voces gestusque: forma, mo-
dus, & temperatio quædam vocis, & gestus: finis,
vt eo modo loquamur, quem nos ipsa natura optima
hac in re magistra docuit. Is itaque est pronuntia-
tionis scopus, ut naturalem pronuntiationem ex-
primamus, non ut aliquam aliam enunciandi for-
mam, ut aliqui putant, indagemus; sed ut eam for-

mam

mam assequamur, quæ a naturali & genuina pronuntiatione nihil abhorreat. At diceret hoc loco quispiam, si naturalem pronuntiandi rationem sequi debemus, quid opus est pronuntiandi, agendiq; artificio? facilis est responsio, quam alibi attulimus, ideo nunc omittimus.

Quid sit pronuntiatio, & quæ eius partes. Disput. 2.

HABET *quidem certe recta pronuntiandi agendique ratio fundamentum in natura magnum: sed cum nihil sit in nobis a natura omni ex parte perfectum, aliqua ars atque exercitatio, quæ id quod natura dedit perficiat, atque expoliat, necessaria est. Quo fit, ut nulla ratione negligendæ sint, quæ de pronuntiatione dantur præcepta, quamuis alias leuia & parui momenti esse uideantur: cum etiã leuissimus in agendo error, totam sæpe, alioqui bonã, fœdet orationem, totiusq; dictionis fructũ interdum auferat. Et quoniam quæ ad recte agendi doctrinam pertinent, plane explicari nequeunt, nisi uariæ actionis partes perspectæ fuerint; ideo in hac disputatione eas exponere conabimur, ut de singulis varias admonitiones tradere possimus. De re igitur proposita ita statuo.*

Prima positio, Pronuntiatio est uocis, uultus, & gestus, pro rerum, & affectuum, & coniunctorum

sim-

simpliciumq; uerborum natura ac varietate mode- ratio cum uenustate. Vox ad auditũ pertinet, ac pro inde pronuntiatio uocatur: gestus uero ad aspectum refertur, ex quo actio nominatur: Cicero aliquando corporis eloquentiam appellauit. Sed cũ de actionis definitione plura alibi dixerim, ad diuisionẽ accedo.

Secunda positio, pronũtiationis vniuerse sumptæ duæ sunt species: una naturalis, altera artificiosa. Naturalis pronuntiatio est facultas quædã a natura tributa, qua animi sensa, affectusq; certo quodam modo efferuntur: Quæ, pro instrumentorum ratione, varia ac diuersa est in diuersis, melior, peiorue: ex cuius notatione nata est agẽdi forma artificiosa; quæ quid sit paullo ante docuimus. Artificiosa iterũ duplex, altera oratoria, qua oratores utũtur: altera scenica, qua comędi: quæ qua ratione differant, lib. 2. de arte dicendi late docuimus: qui locus consulendus erit. Nos nihil de scenica, quæ oratori uitanda est, sed de oratoria dicturi sumus.

Atqui obijciat hoc loco quispiã; M. Tullius suã actionẽ pfecit imitando Rosciũ: ideq; dixit, In oratore tragędorũ uocẽ gestusq; pene summorũ actorũ esse requirẽdos: igitur scenica actio cognoscẽda erit. Hãc obiectionẽ facile refelleres dicẽdo, Cic. ab Roscio ea sumpsiße, q̃ sunt oratori cum Comędo cõia: uel illius actionẽ, detractis scenicis motibus, ad suam accõmodaße. Quãdo ait, requiri gestus pene sũmorũ actorũ, id q̃d nos docemus, affirmat. Ideo aliquãdo dixit, opus eße oratori Roscij gestum, & uenustatem; & tamen Lib. 1. orat.

neminem

neminem suasurum studiosis dicendi adolescentibus in gestu discendo histrionum more laborare.

Tertia positio, partes in quas tota actionis vis distribuitur, sunt vox, & motus: quibus duabus partibus omnes nostros demonstramus, & aliorum percipimus sensus animiq; motus. Diuisio est manifesta, qua omnes qui de actione scribunt, utuntur; ut
In Brut. *præter alios Cicero; qui aliquando tres fecit par-*
Ibid. *tes, vocem, vultum, motumque, quibus omnia quæ dicuntur debent esse condita: alij quattuor, Vocem,*
Streb. *spiritum, gestum, linguæque motum. Nos prius de uoce agemus, ubi de spiritu, & de linguæ motu, quæ obseruatione digna sunt, trademus; postea de actione disputabimus.*

Quarta positio, in uocis explicatione duo spectāda sunt, eius natura, & usus. Quod attinet ad naturam, non est nostrum hoc loco subtilius & accuratius docere, quæ sit uocis vis, quæ caussæ, sed solum ea attingemus, quæ proxime ad præsens institutum pertinent: sunt autem duo, quantitas, & qualitas.

Fab. *Quincti positio, vox ratione quantitatis diuiditur in magnam, paruam, & mediam. Vox magna est, quæ alte edita longe lateq; exaudiri potest. Magnam uocem tribuit Tullius Aeschini, & is Demosthen, ut Homerus Stentori, cuius tantus fuit*
Iliad. 5. *vocis sonitus, quantus aliorum quinquaginta: unde uox magna alio epitheto, stentoria nominatur. Huc pertinet illud Eliæ ad Baalis prophetas, Clamate*

mate uoce maiore: Deus enim est, & forsitan loqui 3. Reg.
tur, aut dormit, vt excitetur. Vox parua est vox 18.
summissa, quæ longius, latiusque exaudiri nequit.
Media vero vox, est inter grandem & paruum mo
deratus sonus. Has vocis differentias facile quisq;
in quouis obseruaret.

Sexta positio, vox ratione qualitatis in uarias
diuiditur formas: est enim qualitas, ut Fabius ait,
magis uaria; & eo magis, si eas qualitates specte-
mus, quæ ex motu linguæ & spiritus oriuntur. Vn-
de alia dicitur uox bona, alia mala: alia clara, alia
obscura: alia suauis, alia insuauis. Quæ autem
qualitates ad nostrum institutum pertinent, eas in-
fra numerabimus, & exponemus.

Septima positio, ratione tonorum qui sunt tres,
grauis, acutus, & circumflexus, uox in grauem, me
diam, & acutam diuiditur: Vnde triplex vocis vsus,
grauis, acutus, & medius. Tonus pro diuersitate re-
rum in quibus reperitur, in quattuor diuiditur par-
tes; in tonum orationis, dictionis, syllabarum, &
literarum. Potest etiam diuidi ratione partium
orationis, quod alius sit exordij, alius narrationis,
& alius aliarum; de quibus singulis postea suo lo-
co agetur.

Octaua positio, uocis virtutes, ut Fabio placet,
quattuor numerantur, emendata, dilucida, ornata,
& apta. Non alia est autem, ratio pronuntiationis,
vt ipse ait, quam ipsius orationis. Nam, ut illa e-
mendata, dilucida, ornata, & apta esse debet; ita hęc
quo-

quoque emendata erit, si uitio carebit, si fuerit os facile, planatum, iucundum, vrbanum, in quo nulla, neque rusticitas, neque peregrinitas resonet. Dicetur itaque pronuntiatio emendata, cum omni vitio vacat: si absurda, rudis, immanis, dura, rigida, varia, præpinguis aut tenuis, inanis, acerba, pusilla, mollis, et effœminata non erit: spiritus nec breuis, nec parum durabilis, nec in receptu difficilis: & gestus motusque corporis ab omni vitio aberit; ita ut sine ullo errore omnes moueantur partes.

Erit pronuntiatio dilucida, si clara, si canora, articulata, expressa, non uelox, non tarda: si syllabæ & literæ recte exprimentur, nec dicendo numerabuntur: si distinctionum habebitur ratio: si pro ratione punctorum magis minusque quiescet, & clare terminabitur: si facile & sine labore dicetur: si spiritus suis locis, antequam uox deficiat, sumetur.

Erit ornata, si facilis, si firma, grauis, acuta, temperata, concitata, sedata, & pro rerum uarietate formisque expressa: si suauius, non tamen effœminata & mollis, sed uirilis, & grauis: si non nimis effusa, aut compreßa, uel ui expreßa: si initia, progreßus, & terminos habebit idoneos: si deniq; quadam grata concinnitate auditorum aures permulcebit, & quasi titillatione afficiet.

Postremo, pronuntiatio erit apta, si pro rerum, sententiarum, uerborumq; uarietate fuerit distincta: si se in uarias formas flexusque conuertet, ut motus animi exprimat, & in animos influat: si affe-

ctibus

ctibus consentiet: si non dissipata, sed colligata, & quasi uincta fuerit: si non uno semper tenore, & cursu fluet: si denique grandia acriter mediocria leniter, & humilia remisse dicentur. Atque hæc summatim ex longo Fabij sermone de his quattuor uirtutibus colligere uolui: quæ in reliqua tractatione enucleatius explicanda sunt. His adscribere placet, quæ de pronuntiationis diuisione auctor scripsit Herennianus.

Diuiditur, inquit pronuntiatio in uocis figuram, & corporis motum. Figura uocis est, quæ suum quendam possidet habitum, ratione & industria comparatum. Ea diuiditur in tres partes, in magnitudinem, firmitudinem, mollitudinem. Magnitudinem uocis maxime comparat natura: non nihil hanc auget, sed maxime cura conseruat. Firmitudinem uocis maxime natura comparat, nonnihil eam auget & maxime conseruat exercitatio declamationis. Mollitudinem uocis, hoc est, ut eam torquere in dicendo pro nostro commodo possimus, maxime facit exercitatio declamationis: qua propter de magnitudine uocis, & firmitudinis parte, quoniam altera natura, altera cura comparatur, nihil ad nos attinet commonere, nisi ut ab ijs, qui non inscij sunt, eius artificij ratio curandæ uocis penatur. De ea parte firmitudinis quæ conseruatur ratione declamationis, & de mollitudine uocis, quæ maxime necessaria est Oratori, quoniã ea quoq; moderatione declamationis cõparatur, dicẽdũ uidetur.

Ad uocis itaque firmitudinem conseruandam, & ad suauem pronuntiationem habendam ex eodem auctore, hæc quattuor conferunt: sedata uox in principio: quæ efficit ne lędantur arteriæ, antequam leni uoce permulsæ sint: & quid insuauius, quam clamor in exordio caussæ? Interuallorum consuetudo; recreatur enim uox spiritu, & arteriæ reticendo quiescunt: sententiæ concinniores redduntur, & auditori spatium cogitandi relinquunt. Continui clamoris remissio, & ad sermonem transitio: commutationes enim faciunt, ut in omni uoce integri simus: quæ varietas auditorem delectat, dum sermone animum eius retinet, & clamore exuscitat. Exclamationum acutæ vocis vitatio: ictus enim fit, & uulnerantur arteriæ: & si quis splendor est vocis consumitur clamore vniuersus; unde & auditor lęditur: habet enim quid illiberale, & muliebre a virili dignitate alienum vociferatio. Quibus fit, ut in extrema oratione multa uno spiritu continenter dici possint: fauces enim calefiunt, & arteriæ complentur, & uox quæ uariæ tractata est, reducitur in quendam sonum æquabilem atque constantem; ac proinde auditoris animum in totius caussæ conclusione uehementissime calefacit. Quare, quod firmitudinem conseruat, nostræ uoci prodest, & auditoris uoluptate ob suauitudinem probatur.

Mollitudinem postea subdiuit in sermonem, qui est oratio remissa, quotidianæ loquutioni finitima:

in contentionem, quæ est oratio acris, & ad confirmandum, & confutandum accommodata: & in amplificationem, quæ est oratio, quæ aut ad iracundiam inducit, aut ad misericordiam trahit animum auditoris. Sermonem subdiuidit, in dignitatem quæ est oratio cum aliqua grauitate, & uocis remissione: in demonstrationem, quæ docet remissa uoce, quo modo aliquid fieri potuerit, uel non potuerit: in narrationem, quæ est rerum gestarum expositio: & in iocationem, quæ ex aliqua re liberalem risum potest comparare. Contentionem item in continuationem, quę est orationis pronunciandę acceleratio clamosa: in distributionem, quæ est in contentione oratio frequens, cum raris & breuibus interuallis, acri uociferatione. Amplificationem, in cohortationem, qua aliquod peccatum amplificamus, aut auditorem ad iracundiam adducimus, & conquęstionem, quę incommodorum amplificatione animum auditoris ad misericordiam perducit. Docet postea citatus auctor, quonam pacto hę orationis formę pronuntiandę sint: qua de re nos infra agemus.

De uocum tonorumque uarietate.
Disput. 3.



CVM omnis animi motus, ut sapienter scriptum reliquit Cicero, suum quendam a natura habeat uultum, sonum, & gestum; totumque corpus hominis, ut eius omnis uultus, omnesque uoces, ut nerui in fidibus, ita sonent, ut a motu animi quoque sunt pulsæ; nam uoces, ut chordæ sunt intentæ, quæ ad quemque tractum respondent, acuta, grauis, cita, tarda, magna, & parua; profecto congruenter suauiterque pronuntiare uolenti, quædam uocum genera cognoscenda erunt; quæ varie numerari, & explicari solent. Nos ea attingemus, quę sunt ad usum magis accommodata.

Prima positio, uocum genera ex eius accidentibus sumpta, & huic tractationi accommodata, sunt fere ista, quę seorsim numerabo & explicabo.

Vox lenis, quę molli quodam, & dulci sono cadit in aures, qua hęc sententia efferenda eßet,

Virg. eclo. 2.

Huc adsis formose puer: tibi lilia plenis
Ecce ferūt Nymphę calathis: tibi candida Nais
Pallentes violas, &c.

Huic contraria est uox aspera, quæ offendit, sicuti illa delectat: mouet tamen & territat, ut in iracundia, & indignatione contingit: qua in hac sententia efferenda vtendum eßet,

Virg. eclo. 3.

Non tu in triuijs indocte solebas,

Stridenti

Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

Continens, quæ continenti spiritu effertur, quæ non interspirat, nec usquam interrumpitur, sed continuo motu fertur: qua hanc sententiam proferres:

Mille trahens uarios aduerso sole colores. Aen. 4.

Huic contraria est vox intercisa, spiritu intermisso prolata: qua hanc sententiam pronuntiares:

Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit?

Tarda, quæ singulas non modo dictiones, sed etiã syllabas & literas ponderat; moratur, & non præcipitat: & fortaße est eadem cum illa, quam aliqui fusam uocant: qua hanc sententiam pronuntiares,

An Deus immensi venias maris, & tua nautę Geor. 1.
Numina sacra colant.

Huic contraria est uelox, celer, siue contracta, qualem in huius sententiæ pronuntiatione adhiberes,

Et fugit ad salices, & se cupit ante uideri. vir. ecl. 3

Vox sedata, quæ tranquille pacateq; ingreditur, & nullum præbet affecti animi indicium, qualis in hac sententia efferenda eße deberet,

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni Virg. Aen. li. 1
Carthago: Italiam contra Tyberinaq; longe
Ostia, diues, opum, studijsq; asperrima belli.

Huic contraria est uox vehemens, concitata, affectuum plena; qualem in horum uerborum prolatione animaduerteres:

Nec tibi diua parẽs, generis, nec Dardanus auctor, Vir. li. 4. Aen.
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens

Caucasus, Hyrcaneq; admorunt ubera tigres,
Nam quid dissimulo? aut quę me ad maiora reseruo?
Num fletui ingemuit nostro? nũ lumina flexit?

Vox Clamosa, sonans, quę ex dilatatis, faucibus pleno spiritu foras exit, quę omnem titubationem, & timorem tollit: huic contraria est vox fusca: alij gracile ac turgidum hoc uocis genus uocarent.

Vir. li. 1. Aen. *Plena & turgida uoce hęc verba pronuntiarentur,*
Ast ego quę diuum incedo regina, Iouisq;
Et soror, & coniux.

Vox Clara, quę aperte in aures intonat, obscura contra: illa vtuntur qui intelligi uolunt, hac, qui nolunt.

Vox expressa, seu explanata, quę verba, literasque suo proprio sono plene ac distincte exprimit: quę incipit, & suspendit, & deponit spiritum ubi oportet: cui contraria est non expressa, non explicata.

Vox mollis, flexibilis, qua sonum pro rerum, & affectuum, figurarumque natura & qualitate, aut suo ęquabili modo & tenore conseruat, aut uehementer extollit, aut suauiter flectit: cui contraria est uox Dura, quę non facile, prout oportet, inflectitur.

Vox firma & constans, & in sua dignitate permanens, quę neque languida, neque rauca esse uidetur: qualis erit, si ea seruabuntur, quę auctor Herennianus seruanda docet: si a principio fuerit seda-

sedata, quæ tamen audiatur: tarda, non præceps: si respiret in colis, &c. Infirma, contra. De graui, media, & acuta supra diximus, quæ ex tonorum ua rietate exoritur.

Atque ex his intelligere licet, quæ sit uox apta, quæ inepta: apta ea dicitur, quæ rebus, personis, affectibus, & verbis simplicibus, atque coniunctis est accommodata: inepta contra.

Hæc omnia fere uocum genera enumerauit Tullius in tertio de oratore sermone; ubi cum de acuta, graui, cita, tarda, & magna, inter quæ in omni genere est uox mediocris, mentionem fecisset; hæc subiecit uerba, Atque etiam illa sunt delapsa plura genera, lene, asperum, contractum, diffusum, continenti spiritu intermisso, fractum, scissum flexo sono, attenuatum inflatum. Nullnm est enim horum similium generum, quod non arte, ac moderatione tractetur. Hi sunt actori, ut pictori expositi ad uariandum colores. Aliud enim uocis genus iracundia sibi sumat, acutum, incitatum, crebro inuidens. Quorum generum sua subijcit exempla. His hunc in modum de uocum generimus explicatis, sequitur, vt de tribus tonis aliquid dicamus.

Secunda positio, tonus grauis est quo aliquid canora, sedata, & æquabili uoce cum mediocri tarditate pronuntiatur. Quo tono continetur uox canora, sedata, clara, expreßa, tarda, spiritu interrupto emissa. Hic tonus, quod ad sonum attinet, respondent, ut aliqui, scribunt, duabus notulis, quæ in

musica dicuntur, Vt, Re, secundum uocem cuiusq; naturalem. Grauis, hic sonus eandem uocis æquabilitatem, & eundem quasi tenorem seruat a maiori parte. Habet enim alioqui elationem, & remissionē, licet modicam, ex rerum, & affectuum, & verborum, tum simplicium, tum coniunctorum uarietate.

Tertia positio, tonus medius inter grauem et acutum est interiectus; quo uoce media, leni, & clara suauiter quippiam enunciamus, & dulci quodam modo commouemus affectum. Huic tono conueniūt hę uoces, media, suauis, lenis, clara, expressa, canora, sed leniter emissa: Qui respondet notulis duabus musicis, Mi, Fa, & sono, B, Fa, B, Mi, quo nullus est in Musica dulcior.

Quarta positio, acutus tonus est quo aliquid magna & acri, aut magnopere luctuosa uoce pronuntiamus: cui uox magna, clara, uehemens, aspera, continens, uelox, aut admodum flebilis & acerba respondet, & in notulis musicis, Sol, La.

Quinta positio, tonus spectari potest, uel in tota oratione, uel in dictione, uel in syllaba, uel in litera.

Tonus orationis est is quo tota oratio, uel grauiter, uel mediocriter, uel acute pronuntianda est: sunt enim tres orationis toni, quos iam exposuimus: quorum primus ualet ad docendum, secundus ad delectandum, tertius ad mouendum.

Tonus dictionis est, quo una dictio, uel plures propter emphasim, & affectum pręcipuum quem continent, grauius ponderantur, pro sua naturali significatione.

Tonus syllabarum est, quo dictionis aliqua sylla-ba habet elationem, & altera uel cæteræ depri-muntur.

Tonus uero literarum est sonus, qui accidit lite-ris, natura & oris instrumentis formatus. Est enim literæ cuiusque proprius sonus, et naturalis, qui ex varia oris commutatione proficiscitur.

Sexta positio, ad rectam pronuntiationem, ha-benda est ratio spiritus: de quo hæc literis commen-dauit Fabius. Spiritus quoque, nec crebro receptus concidat sententiam: nec eo usque trahatur, donec deficiat. Nam & deformis est consumpti illius so-nus, et respiratio sub aqua diu pressi similis, et rece-ptus longior, et non opportunus, ut qui fiat, non ubi uolumus, sed ubi necesse est. Quare longiorem dictu-ris periodum, colligendus est spiritus: ita tamen, ut id neque diu, neque cum sono faciamus, neque omni-no ut manifestum sit: reliquis partibus optime inter iuncturas sermonis reuocabitur. Exercendus autem est, ut sit quam longissimus: quod Demosthe-nes, ut efficeret, scandens in aduersum continuabat quam posset plurimos uersus. Idem, quo facilius uerba ore libero exprimeret, calculos lingua uol-uens, dicere domi solebat. Est interim, et longus, et plenus, et clarus satis spiritus, non tamen fir-mæ intentionis, ideoque tremulus, ut corpora quæ aspectu integra, neruis parum sustinentur. Hæc Fabius.

De actione, siue de corporis gestu. Disput. 4.



Quartam eloquentiæ partem, in uocem & gestum distributam esse dicebamus: priorem vniuerse explicuimus; sequitur, ut ad posteriorem eadem ratione exponendam accedamus: acturi postea de vtriusque vsu. De gestu igitur, quem Græci κίνησιν, & ὄψιν uocant, ita uniuerse statuimus.

Prima positio, gestus est totius corporis & partium eius pro rerum animo conceptarum, & eloquutionis, & affectuum varietate moderatio cum venustate.

Secunda positio, gestus, siue motus duplex est: alter naturalis, qui eam exhibet actionem, quam uis animi atque naturæ docet: alter artificiosus, qui conformationem & absolutionem quandam naturali tribuit, dum uitia corrigit & quæ sunt in natura bona meliora reddit. Hic duplex, alter scenicus quo histriones vtuntur; qui multus est in imitando, nimis eminet, atque apparet, singula frequenter repræsentando, mores & affectus, tum suos, tum alienos: Alter oratorius parcior, modestior, qui res ipsas modica significatione repræsentat; de quo nos acturi sumus.

Tertia positio, magna est uis gestus in significando. Is, inquit Fabius, quantum habeat in oratore momenti, satis, uel ex eo patet, quod pleraque etiā

citra

citra uerba significant. Quippe, non manus solum,
sed nutus etiam declarant nostra uoluntatem, & in
mutis pro sermone sunt: & salutatio frequenter
sine uoce intelligitur, atque afficit: & ex ingreßu
uultuque perspicitur habitus animorum: & ani-
malium quoque sermone carentium, ira, lætitia,
adulatio, & oculis, & quibusdam alijs corporis si-
gnis deprehenditur. Nec mirum si ista, quæ tamen
in aliquo sunt posita motu, tantum in animis ua-
lent, cum pictura tacens opus, & habitus semper
eiusdem, sic in intimos penetret affectus, vt ipsam
uim dicēdi nō nunquā superare uideatur. Contra, si
gestus, ac uultus ab oratione dissentiant, tristia di-
camus hilares, affirmamus aliqua renuentes, non
auctoritas modo uerbis, sed etiam fides desit.

Quarta positio, motus sine quo nullus est gestus,
duplex est: unus partium corporis, alter totius, cu-
ius sex sunt uarietates: sursum, deorsum, ante, re-
tro, à dextris, a sinistris: quorum alij probantur,
alij uero minime, ut postea dicetur.

Quincta positio, corporis partes, quarum gestus
in actione obseruandus est, sunt fere istæ: caput, uul
tus, aspectus, oculi, palpebræ, frons, supercilia, na-
res, labra, os, ceruix, collum, humeri, brachia, ma-
nus, digiti, pectus uenter, & denique pedes:
quarum partium aliæ suo motu aliquid significant,
aliæ non item: aliæ multum iuuant actionem, aliæ
parum. Nunc eas prosequemur, quæ ad aliquid
significandum uim habent: qua autem ratione eas

mode-

moderari oporteat postèa dicetur.

Sexta positio, capitis gestus varias conceptiones, affectionesque declarat. Capite annuentes, cõcedimus: abnuentes, negamus: ad tergus reflectentes, reuocamus: crebro, & celeriter agitantes, obiurgamus: capite erecto fiduciã, deiecto humilitatẽ, in latus inclinato, lãguorẽ, demisso verecũdiã, supino arrogantiã præduro ac rigẽte barbariẽ significamus.

Fab.

Septima positio, vultus, cum sit veluti quædam animi imago, in quem omnes, tanquam in animi interpretem, & nuntium intuentur, multas animi affectiones declarat: lętitiam, dolorem, fiduciam, seueritatem, & alias. Dominatur autem maxime vultus, inquit Fabius, hoc supplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc tristes, hoc hilares, hoc erecti, hoc summißi sumus, hoc pendent homines: huc in tuẽtur spectãt ẽt antequàm dicimus: hoc quosdã amamus, hoc odimus, hoc plurima intelligimus: hic est sæpe pro omnibus verbis.

Cic. lib. 3.orat.

Octaua positio, oculi in vultu dominantur, suntque multarum affectionum indices. Nam hæc est vna pars coporis, quæ quot animi motus sunt, tot commutationes, & significationes possit efficere: quorum, tum intentione, tum remißione, tum coniectu, tum hilaritate motus animorum significamus apte, cum genere ipso orationis, vt scribit Tullius. Et Fabius, Per quos maxime animus emanat, vt citra motum quoque, & hilaritate enitescant, & tristitia quoddam nubilum ducant. qui etiam la-

Cic. lib. 3.orat.

cry-

crymas his natura mentis indices dedit: quæ aut erũpunt dolore, aut lætitia manant. Motu vero intenti, remissi, superbi, torui, mites, asperi fiunt, quæ vt actus poposcerit, fingentur. Rigidi vero, & extenti, aut languidi & torpentes, aut stupentes, aut lasciui, & mobiles, aut natantes, & quadam voluptate suffusi, aut limi, & vt sic dicam, venerei, aut poscẽtes aliquid, pollicẽtesq; nõnũquã esse debebũt.

Palpebræ vero adiuuant oculos: quorum nimia mobilitas inconstantiam, æquabilitas grauitatem cum dignitate coniunctam declarat.

Nona positio, Frons exporrecta hilaritatem, cõtracta tristiam significat: vnde hilares frontẽ exporrigere dicuntur: & effrontes vocantur etiam impudentes. Quæ nunc attollitur, nunc contrahitur supercilijs: quæ subleuata arrogantiam, aut fiduciam designant; vnde superbi, superciliosi dicuntur: remissa vero, verecundiam. Multum, ait Fabius, & superci ijs agitur. Nam & oculos formant aliquatenus, & fronti imperant. His contrahitur, attollitur, demittitur: vt vna res in ea plus valeat sanguis ille, qui mentis habitu mouetur, & cum infirmam verecundia cutem accipit, effunditur in ruborem, cum metu refugit, abit omnis, & pallore frigescit: & tẽperatus medium quoddam serenum efficit.

Decima positio, naribus, & labijs nihil fere quicquam ostendimus; tam etsi, derisus, contemptus, & fastidium significari solet. Verum nares, ipsam etiam vocem iuuant, cum per eas, quod superest vocis egredia- Fab.

egrediatur: idque uel eo patet, quod si quis compressis naribus loquatur, mutilum, & ingratum sonum edit.

Vndecima positio, manus tantam uim habent ad uarias animi affectiones exprimendas, ut aliqui manibus loqui dicantur. Quod itaque mente concipimus, manibus quodammodo promimus, et cum alijs communicamus: Quarum sermo, post linguarum uarietatem, idem quod omnes remansit: de quibus ita scribit Fabius, Manus uero, sine quib. trunca esset actio, ac debilis, uix dici potest quot motus habeant, cum pene ipsam uerborum copiam persequantur. Nam cæteræ partes loquentem adiuuant, hæ, prope est, ut dicam, ipsæ loquuntur. An non his poscimus? pollicemur? uocamus? dimittimus? minamur? supplicamus? abominamur? timemus? interrogamus? negamus? gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus, ostendimus? Non eadem concitant? supplicant? inhibent? probant? admirantur? uerecundantur? Non in demonstrandis locis, atque personis uerborum, atque pronominum obtinent uicem? ut in tanta per omnes gentes, nationesque linguæ diuersitate, hic mihi omnium hominum communis sermo uideatur: Hæc Fabius. Sed quanta sit manuum in agendo & significando uis, infra planius demonstrabitur, cum de omnium enumeratarum partium usu agetur. Atque hęc de gestuum significationibus dicere habuimus. Nam aliæ cor-

corporis partes, quarum supra meminimus, iuuant quidem actionem, & ad aliquem sensuum exprimendum conferunt, sed nihil ex se significant.

At diceret hoc loco aliquis, cur nullam de amictu et uestitu, quibus membra corpusque teguntur, mentionem fecerimus? cui hunc in modum responderem. Primum quidem, quia habitus nihil uidetur ad actionem conferre, aut certe parum, dum aliquam animi actionem potest indicare. Deinde, quoniam, ut Fabius ait, cultus non est proprius oratoris aliquis, sed magis more conspicitur. Quare, sit, ut in omnibus honestis esse debet, splendidus & virilis. Nam & toga, & calceus, & capillus, tam nimia cura, quam negligentia sunt reprehendenda. Denique, cum eorum, qui nunc dicere solent, habitus sit omnino varius, & in diuersis regionibus diuersus, nulla de eo certa potest dari pręceptio; & si quid dici posset, id prudentię relinquatur dicentis: qui pro locorum, temporum, & rerum de quibus dicit, de conuenienti habitu iudicium fert: de quo pauca quędam scribit Fabius, quę cum non sint ad nostra tempora accommodata, ea libens prętermitto. Plinius quoque, in hac re explicanda, ut ex Fabio discimus, satis curiosus fuit: cuius nos hac in parte diligentiam, cum imitari nolimus, ad ea quę magis ad rem pertinent stylum conuertamus. Plin.

Tra-

Traduntur, quædam communia de recta pronuntiatione præcepta. Disput. 5.

DVO in pronuntiationis, & actionis tractatione spectanda esse supra dicebamus: quæ sit earum natura, quæ uis, & qui earundem vsus: diximus de primo, sequitur vt de altero dicamus, quod sequentibus disputationibus nobis faciendum est. Et primum quidem, quæ sint in pronuntiando, & in agendo seruanda, postea quæ fugienda docebo: & priore loco de voce, tum de motu gestu ue dicam. In hac uero disputatione prius quasdam communes præceptiones de recta pronuntiandi ratione trademus, postea quo modo orator ad dicendum se comparare debeat docebimus: de primo has statuo præceptiones.

Prima, qui vult inpronuntiando excellere, is eam pronuntiandi rationem obseruare & imitari debet, quam ipsa docet natura; ita vt optima hac in parte ars, sit ipsius naturæ imitatio; ut ita quisque dicendo aliquem affectum uoce, & gestu exprimat, ut is qui eo afficitur, naturæ ui, exprimere solet; remota tamen, si quæ est in hoc, uel illo homine deformitate. Vt itaque uideris irascentem, lamentantem, obsecrantem, gaudentemque loqui, & agere, eodem tu te geres modo. Non secus ac prudens faceret pictor, qui florem quem affabre pingere uellet, ob oculos sibi poneret. Hæc si ad

bibere-

hiberetur diligentia, ars quæ alias compluribus difficilis videtur, multo fieret facilior, cum singulis pene momentis, audiamus, uel videamus aliquos, qui suos apte exprimunt affectus. Lud. Gran. li. 6. c. 2.

Secunda, vox, vultus, & gestus rebus de quibus loquimur, & affectibus quos exprimimus accommodandi sunt: & ut ex rebus oriuntur affectus, ita ex affectibus proficiscatur pronuntiatio. Tot igitur sint, uocis, uultus, & gestus mutationes, quot affectuum; ut singulis sua uocis, uultus, & gestus respondeat moderatio. Quare, si ex re indigna, animus sit ira incensus, uox esto acuta, uultus ardens, & gestus concitatus; quæ iram indicabunt. Si ex re tristi concepta sit tristitia, uultus tristis, vox flebilis, gestus demissus & fractus tristitiam manifestet: atque idem de alijs affectibus dicas.

Tertia pronuntiatio debet esse firma, siue æqualis. Nam, prima est obseruatio, Quinctilianus loquitur, recte pronuntiandi, æqualitas, ne sermo subsultet imparibus spatijs, ac sonis, miscens longa breuibus, grauia acutis, elata summissis, & inæqualitate horum omnium, sicut pedum, claudicet.

Quarta, necessaria est in pronuntiando varietas, quæ sola putatur pronunciatio; quæ aures renouat, dicentem ipsa laboris mutatione reficit: ut standi, ambulandi, sedendi, iacendi uice sunt; nihilq; eorum pati unũ diu possumus. Nec quis pugnare inter se putet æqualitatẽ, et uarietatẽ: cum illi virtuti contrarium sit vitium, inæqualitas, huic, qui dicitur monoeides, quasi quidam unus aspectus. Fab.

Sint itaq; quædã nõ ita magnæ uocis declinationes, prout, aut verborũ dignitas, aut sẽtẽtiarũ natura, aut depositio, aut inceptio, aut trãsitus postulabit: aut q singulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia rectiora fecerunt, sine quo, ne membris quidem suas lineas dedissent. Proponamus, enim nobis, ait Fabius, illud Ciceronis in oratione nobilissima pro Milone principium, non ne ad singulas pene dictiones, quamuis in eadem facie, tamen quasi vultus mutandus est? Etsi vereor, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere, &c.

Est autem hęc pronunctiandi uarietas non solum in membris orationis, sed etiam in articulis, & in singulis pene uerbis obseruanda: quam ut Gracchus in dicendo seruaret, seruum habuit ad manus cum eburneola fistula, qui staret occulte post ipsum cum cõcionaretur, peritum hominem, inflaret celeriter eũ sonum quo illũ aut remissum, excitaret, aut a contentione reuocaret. De hac uarietate, nonnihil disputat apud Cic. ad finẽ tertij sermonis de oratore Antonius, cum ait, In omni uoce, & quæibi sequuntur. Lib. 3. orat.

Quincta, necessaria est quædam uocis, spiritusque moderatio: ne uox ultra uires urgeatur. Nam suffocata sępe, & maiore nisu minus clara est, & interim elisa in illum sonum erumpit: cui Gręci colsmon nomen a gallorum immaturo cantu dederunt. Nec volubilitate nimia confundenda quæ dicimus: qua & distinctio perit, & affectus et nõnũquã etiam uerba aliqua sui parte fraudantur. Cui contrarium est uitium nimiæ tarditatis. Nam, & dif- Fab. Fab.

ficultatem inueniendi fatetur, & segnitia soluit animos, in quo est aliquid, temporibus præfinitis aquã perdit. Spiritus quoque nec crebro receptus concidat sententiam, nec eo usque trahatur, donec deficiat. Nam, & deformis est consumpti illius sonus, & respiratio sub aqua diu pressi similis, & receptus longior, & non opportunus: ut qui fiat non ubi, opus est, sed ubi necesse est. Quare longiorem dicturis periodum, colligendus est spiritus: ita tamen ut id neque diu, neque cum sono facciamus, neque omnino ut manifestum sit: reliquis partibus optime inter iuncturas sermonis reuocabitur.

Sexta, in pronuntiatione apparere debet urbanitas quædam, hoc est certa quædam uox Romani generis, Vrbisque propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animaduerti possit, nihil sonare, aut olere peregrinum: hanc sequamur, nec solum rusticam asperitatem, sed etiam peregrinam, insolentiam fugere discamus. Cic.lib.3 orat.

Equidem cum audio, inquit Antonius, socrum meam Leliam, (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conseruant, quod multorum sermonis expertes, ea tenent semper, quæ prima didicerunt) sed eam sic audio, ut Plautum mihi, aut Neuium uidear audire. Sono ipso uocis ita recto, & simplici est, ut nihil ostentationis, aut imitationis afferre uideatur: ex quo sic loquutum esse eius patrem iudico, sic maiores, non aspere, ut ille quem dixi, non rustice, non hiulce, sed presse, æquabiliter, leniter. Sed de hac re lege integram disputatio-

nem libro primo de eloqutione oratoria.

Atq; has præceptiones attulisse sufficiat. Nunc ad alteram huius disputationis partem accedendo, quasdam alias obseruationes proponam, de ijs quæ seruanda sunt, cum ad dicendum acceditur, ante ipsam dictionem; si illud prius adnotauerim, duo esse loca in quibus Oratores dicere consueuere, suggestum, in quo qui dicunt quandam maiorem libertatem habent, & pauciores gestus motus ue obseruare debent, & locum aliquem apertum, ita ut tota conspiciatur ab auditoribus persona, ut accidit in scenna; ubi maiore cum cautela dicendum est.

Prima admonitio, Oraturus cum dignitate & moderato gressu ad dicendum ueniat, ascendatque sugestum.

Secunda, ubi locum conscenderit, seque in ipsius medio collocauerit, audientibus reuerentiam exhibebit, idque nudato capite, & altero genu, uel utroque uicissim ad diuersa latera flexo.

Tertia, in suggestu consistens, antequam dicere incipiat, paululum erit ei commorandum; corpus & uestes componendæ, ut amictus sit decentior, & ut ad cogitandum aliquid spatij detur. Etenim breuis mora attentionem comparat, & mire ipsius actoris cura delectat, & auditor ad audiendum se cõponit. Atequam igitur orationem aspicietur, exhibito auditoribus honore, breuiuscula mora eos sibi conciliet.

Quarta, status sit erectus, & celsus, ut ait Cicero: pedes,

pedes, uel æquales, uel paulum protensus sit sinister, & quasi ad progrediendum paratus, ne ueluti statua stet iunctis pedibus. Genua sint recta, humeri remissi, uultus grauis & liberalis, & præsse ferens dignitatem. Manus ambæ sint pulpito appositæ, & a seipsis modicum remotæ, non in occulto, sed in aperto, ut uideri queant.

Quincta, obseruandi sunt auditores, ac discernendi, uidendumque ubi sint Prælati, ubi Magistratus, ubi laici, & subditi, ubi fœminæ; ut si quando ad hoc uel illud personarum genus, conuersio, sermo ue faciendus sit, nihil in pronuntiando, agendoque peccetur.

Sexta, facto silentio, & auditoribus ad audiendũ compositis, ab eo oratio auspicanda est sono, quem in tota orationes potissimum sequi & tenere uolumus, & ad quem redire debemus, cum eum pro rerum, & affectuum uarietate commutauerimus.

Septima, uocis sonus tantus erit in principio, quã tum loci amplitudo, uel auditorum multitudo postulabit. Grauis sonus summissis, aut temperatis orationum principijs est maxime accommodatus: Interdũ, etiam medius sonus aptus est, ubi concio frequentior adest. Principijs uehementioribus sonus acutus optime respondet; ut in prima Catilinaria, Quousq; tandem abutere, &c. & oratione in Pisonem: A quo sono ad temperatiorem redeundum erit, quo fere incepisse potuißemus.

Sed ut quæ de ratione comparandi ſe ad dicendum diximus, alicuius Magiſtri auctoritate confirmentur, quæ hac de re docuit Fabius, ea adſcribam. Ergo, cum iudex in priuatis, aut præco in publicis dicere de cauſſa iuſſerit, leniter conſurgendum: tum in componenda toga, uel ſi neceſſe erit, etiam & integro iniÿcienda dumtaxat in iudicÿs, apud principem enim, & magiſtratus & tribunalia non licebit, paulum eſt commorandum, ut & amictus ſit decentior, & protinus aliquid ſpatÿ ad cogitandum. Etiam cum ad iudicem nos conuertimus, & conſultus præco permiſerit dicere, non protinus eſt erumpendum, ſed danda breuis cogitationi mora: Mire enim auditurum dicturi cura delectat, & iudex ſe ipſe componit. Hoc præcipit Homerus Vlyſſis exemplo, quem ſtetiſſe oculis in terram defixis, immotoque ſcepto, prius quam illam eloquentiæ procellam effunderet, dicit.



De

De triplici tono, siue de uocis usu pro tonorum uarietate. Disput. 6.



IRA *est quædam natura uocis, ut Tullius ait, cuius quidem e tribus omnino sonis, inflexo, acuto, graui, tanta sit, & tam suauis uarietas perfecta in cantibus. Volet igitur ille, qui eloquentiæ princi-patum tenet, & contenta uoce attrociter dicere, & summissa leniter, & inclinata videri grauis, & inflexa miserabilis. Ex quibus uerbis, totam recte pronuntiandi rationem in recto trium tonorum, siue sonorum usu positam esse facile intelligi potest: qui usus partim in tota oratione, partim in dictionibus, partim in syllabis, & partim in literis spectatur: de quibus sonis singulis hac disputatione acturi sumus: & primum quidem de triplici tono orationis.* In ora.

Tonus ergo orationis est, quo tota oratio potissimum pronuncianda est: qui in grauem, medium, & acutum, ut supra diximus, diuiditur: quorum primus ad docendum, secundus ad delectandum, tertius ad commouendum confert. Quare, uniuerse loquendo, utemur tono graui cum docere, medio cum lectare, acuto cum mouere uolumus.

Sed adhuc rem hanc planius exponamus. Quod ad sonum grauem attinet, cuius naturam & ei conuenientem uocem supra exposuimus, hic seruatur in summissa & temperata oratione; ut est plerun-

que exordium narratio, diuisio, confutatio, quæ rem docent. Sedata & subtilis disputatio, & grauium doctorumque uirorum sermo, minime concitatus esse debet. Hoc tono tota fere pronuntianda esset Maniliana oratio, excepta ea parte, quæ laudat Pompeium; ubi medio tono utendum esset. Seruatur etiam ferme quotiescunque nouam partem, aut caput, aut argumentationem aggredimur, uel facti aut dicti exemplum exponimus: ut post hanc propositionem acute pronuntiatam, Et quod enim in terris tantum
Phil. 2. flagitium, & tantum dedecus auditum est? Sequitur narratio itineris Antonij, graui tono pronuntianda, Vehebatur in essedo, & quæ sequuntur.

Præterea, dum exponimus rem aliquam splendidam, & dignitatis, aut fœditatis plenam.
In Pis. Exemplum dignitatis, cum de Deo, de virtutibus & de magistratu agimus; Vt magna dignitas est consulatus, magna sublimitas, magna maiestas:
Phil. 2. hoc tantum onus humeri tui ferre non possunt. Exemplum magnæ fęditatis, Si inter cęnam, in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, etc. In huius comparationis redditione producenda ac protrahenda sunt omnia uocabula, & syllabę, aperiendo fauces, quo maior exprimatur fœditas.

Postremo, hoc tono utimur dum res cuiuscunque generis explicamus, quæ potius ad docendum, quam ad delectandum, mouendum ue referuntur. Hic tonus, ut supra diximus, uocis æquabili-

bilitatem seruat; habet tamen aliquam elationem, & remissionem, sed modicam, suis in locis.

De medio tono, quid sit, & quam uocis formam requirat, supra docuimus: quod uero ad usum attinet, eo utimur, dum laudamus quippiam, aut rem iucundam exponimus, uel amicitiam, & affabilitatem prę nobis ferimus, uel blande monemus, amice hortamur, uel communicamus, & quasi deliberamus cum auditoribus, uel cum uituperamus cum mitigatione, aut reprehendimus, uel conquerimur cum indignatione, quæ mista sit cum doloris, aut amoris significatione; ut cum Cicero consulares, & consules reprehendit, vel hortatur: Qui eodem tono Pompeium & Cęsarem laudauit. Sed de medio hactenus; Sequitur acutus. Phil. 2. Pro lege Man. Pro Mar.

Hoc tono, quem supra quid sit demostrauimus, utimur in aspera contentione, & acriore indignatione, aut acerbiore commiseratione; ut dum obiurgamus, reprehendimus, indignamur, execramur, exclamamus, iratorum uoces assumimus, aut calamitatem luctuosius deploramus. Acriter, frequenterq; contendimus membratim, & incisim. Membratim, cum membra distributionis acrioris, clamosa uoce, respiratione modica, in ipsis interpunctis proferimus: Incisim, dum incisa plura, uoce continenti spiritu emissa, uel quam breuissimis interspirationibus profundimus. Hoc tono Orator ita spiritum,

vocem,

uocem, orationem, & gestum suo loco continuat, & captum tenet auditorem, ut is propemodum respirare non possit. Hoc tono pronuntiauit Cicero initium Catilinariæ primæ, amplificationes peccatorum Verris, Vatinij, Pisonis, Clodij, & Antonij: multas commiserationes in perorationibus; ut in Miloniana, & Rabiriana.

Ad hunc tonum pertinet sonus ille, qui adeo est acutus, ut pene extra uocis sonum uideatur esse, ac pene supra naturam humanæ uocis acerbus; quo Cicero usus est ad compescendam aduersam acclamationem pro Rabirio perduellionis reo; Quin continetis uocem indicem stultitiæ, &c. Sed, ut supra monuimus, uox non est ultra uires urgenda, frangendæ sunt acclamationes nimis acutæ, atque exiles, & continui clamores: frangunt enim uocem, & uniuersum eius splendorem consumunt. Vt autem hos clamores fugiamus ipsum etiam orationis genus temperandum, ac uariandum erit: Cum uocis uarietas pro rerum, uerborum, & affectuum uarietate adhibenda sit. Atrocia concitate, tristia flebiliter, grandia cum maiestate, mediocria temperate, parua summisse pronuntianda sunt.

Conflictionem contrariorum uoce commutata proferemus, prosopopœiam uoce ficta & apta personę & rei fictæ, & quę loquens inducitur: reticentiam uoce concisa: exclamationem canora, plena, magna, totis oris partibus: quamuis, ut postea dicetur, in omni affectu exprimendo maior, & minor

possit

fit esse uocis contentio, uel remissio. Assumet itaque Orator uocem propriam affirmantibus, negantibus, irascentibus, indignantibus, lętantibus, flentibus, timentibus, audientibus, admirantibus, contemnentibus, irridentibus, interrogantibus, alio ue affectu commotis; his enim naturalis quędam tribuitur uox pro affectuum quibus animus cõmouetur uarietate.

Sequitur dictionum tonus, quo plures dictiones, uel una propter emphasim, quam continet, grauius, pro sua naturali significatione, ponderatur. Quare, cum acrimonia dicemus, Conscéleratus: cum significatione audacię, Audax: cum animi celsi & magni designatione, Magnanimus, & sic de alijs; ut, Humilis, abiectus, horridus, lenis, gaudeo, doleo, tumidus, miser, fortiter, abiectę, leniter, ardenter, & sic de alijs. Pro uerborum itaque simplicium significatione, pronuntiatio commutanda est: & ita in Miloniano exordio hę uoces Vereor, Turpe, Fortissimus, Timere, Recreare, diuersa ratione pronuntiandę essent. Dictionem ergo unam, uel plures, quę prę alijs affectum, emphasimque habent, prę cęteris ponderabimus; ut earum uis, uoce, uultu, gestu, prout opus erit, exprimatur; ut in hac sententia fere oẽs,

Optima quæque dies miseris mortalibus ęui
Prima fugit.

Similiter in Ironia, uox, ubi ironia latet: in Interrogationibus, initium & finis: in Optatione, ea quę est optationis nota: idem de Admiratione, Execrationes, & de alijs dicas. In Incremento, uox ascen-

dit

dit, ficuti & res: Vt fi pronuntiãda esset hęc admi rabiliter per incrementum exaggerata a Dauide sen
Psal. 7. *tentia, Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam merito ab inimicis meis inanis: persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terram uitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.*

Sequitur sillabarum tonus, quo aliqua dictionis syllaba habet elationem, altera, uel alijs de-
Li.1. de *pressis: ad quem sonum recte pronuntiandum proso*
Eloqut. *diæ regulæ consulendę sunt: qua de re nonnihil diximus in disputatione illa supra citata. In polysyllabis, penultima longa, habet uocis elationem; ut alioquin, quamobrem, apprime, enimuero, & gręca scripta per ει, latria, litania, Ironia, brauium, Alexandria, Antiochia, Nicomedia, & quæ scribuntur per ω, Iacobus, Theodorus, & quæ per η, paracletus: diœcesis. Si penultima breuijs sit, elatio erit in antepenultima, ut muliere, Lucia, Origenes, Geometria, & uocatiui, Virgili Gregori, Ambrosi, Licini. In dissyllabis, prima habet elationem, siue sit longa, siue breuis; Roma, Deus. Interrogationis ultima dictio si sit monosyllaba eleuatur, si disyllaba, prior habet eleuationem: si polysylaba, penultima longa eleuatur si hęc breuis, antepenultima. Vitium nimię depressionis ultimę syllabę emẽdabitur, si ultimę dictionis elatio nimia uitetur; in gubernabantur, ban, habet elationem: aut si in ea-*

dem syllaba proferenda uocis instrumenta uirili conatu sustententur, nec motus, & resonantia uocis, ut languidi faciunt, dimittetur.

Sequitur literarũ tonus, de quarũ pronuntiatione nõnihil libro primo de Eloquutione scripsimus. Tonus in literis accidit ex naturali instrumentorum uocis formatione. A, toto ore & quasi aperto profertur: O, rotundo, & quasi cauo: E, labra secat, & ut sic loquar, dimidiat: I, contractis omnibus oris partibus exiliter nascitur: V, quasi rectum angulum format, & labra facit acuta: apud Gallos, & Germanos pleno ore profertur. Ex mutis, Aspiratę ph, ch, th, densum & uastum spiritum continent, & densiores uastioresque gignunt dictiones. Medię, sunt molliores B. D. G. Sed B, in labiorum, G, in dentium & linguę D, in palati & linguę separatione efficitur. Ex Tenuibus, P, C, T, sunt quidem per se tenues, sed aliarum coniunctione interdum rixantur. Duplices X, & Z, pronuntiantur labris & dentibus superioribus & inferioribus separatis: X tamen densiori spiritu Z, tenuiore. Ex liquidis, L, M, N, R, L, est omnium consonantium suauissima: clare sonat post, F, G, P. N, & M. efflunt per nares: M, labris inter se iunctis & musitantibus, N, lingua contingente palatum ad dentes superiores. R, est aspera & canina, & quasi foraminibus dentium angustis profertur, ac proinde titubat, & cum strepitu erũpit. Multa sunt in prõnũtiãdis literis apud diuersas nationes uitia. Quidã uitiose pronuntiant, A, pro E, F, pro V, & contra: L, pro R: Z, pro S: Est autem S, in principio,

Terẽtia lib. 3. Ioan. Gorop.

& in

& in medio inter consonantes densum, inter uocales, lene, ut, miser. x, a quibusdam minus demergitur in saliuam. In summa, literæ omnes suo genuino, & proprio sono omni remota peregrinitate & insolentia, sine cantillatione, sibilo, hiatu, & balbutie pronuntiandę sunt.

Tereñ lib. 5. Ioan. Gorop.

De gestu, siue de singulorum membrorum corporis recta actione. Disput. 7.

DIXIMVS de vocis usu pro sonorum uarietate; sequitur, ut de gestuũ moderatione dicamus. quod per singula membra & partes quæ aliquo pacto pronuntiationem iuuant discurrendo, faciemus.

Caput sit rectum, & pro suo naturali statu apte compositum, quod ad decorem & dignitatem facit. Tum accipiat aptos ex ipsa actione motus, ut cum uoce cõcordet, et eas significationes exprimat, quas supra eius gestus exprimere posse diximus, humilitatem, fiduciam, languorem, & alias: & manibus lateribusque obsequatur. Solus, aut frequens capitis motus ineptus est.

Vultus quoque temperato motu suos exprimit sensus, lętitiam, tristitiam, indignationem, & alios ad uoces & ad res de quibus est sermo accommodate. Vultuosum esse non decet, hoc est uultu nimis ueriato, atque mutato, sed apto, id est rei & tempori accommodato.

Aspe-

Aspectus eo conuertatur quo gestus, prȩsertim manuum; exceptis fere ijs, quæ damnare, quæ execrari, uel concedere, uel a nobis amouere uolumus. Vultum, enim ab ijs rebus remouemus, quas auersamur; ut,

Haud equidem tali me dignor honore.

Nemo dum loquitur vultum manu, uel pileo occultet; quoniam hoc auditum, & intelligentiam auertit. Strophiolo uultus sudoribus madidus in aliqua orationis parte semel, atque iterum animi colligendi, aut ualetudinis causa abstergi potest. Verũ in summo orationis calore, Quinctilianus hoc faciendum negat: unde, nec capilli componendi, nec vestes, si male habeant. Quoniam obliuio, & incuria harum rerum aliquid ardens in Oratore prȩ se fert in ipso calore actionis.

Oculi itidem suas significationes promant, seque animi indices esse ostendant. qui eleuandi sunt, cum de cœlestibus est sermo, deprimendi, cum de terra: quod si tunc eleuarentur, fieret in agendo solȩcismus. Nemo clausis oculis loquatur, aut in alquam rẽ diutius defixis, ut stupidi faciunt.

Palpebrȩ, nimio motu inconstantiam non designent, sed æquabilitate grauitatem.

Fronte exporrecta designetur hilaritas, contracta uero tristitia.

Supercilia frontis motum iuuent, eam attollendo aut contrahendo, & ut non debent eße immota, ita nec nimium mobilia, uel inæqualitate diffidẽtia.

Nares in rugas contrahere, & inflare, ac digito inquietare, & subito quodam impulsu spiritum illis excutere, & plana manu eas inuertere oratorem non decet.

Labra modico motu uerba formant, & magis ore, quam labris loquendum est. Male porriguntur, scinduntur, astringuntur, mordentur, linguntur, & in latus trahuntur, replicantur, dentesque nudant.

Os sit rectum & plenum. Non decet rixari cum ore, si memoria felellerit: aut faucibus quasi insonare, si quid obstiterit, aut in aduersum tergere. Cauebit orator, quoad fieri poterit, nares emungere, tussire, spuere, se fricare, aut spiritum ducere, ut faciunt, qui onere pressi, & labore defatigati esse uidentur, ni ratio, aut res aliud suadeat. Nam in fine alicuius partis spuere, uultum tergere, & se componere licebit, & respirandi gratia, paululum quiescere.

Ceruix, quæ est pars colli posterior, sit naturali situ erecta; nisi quippiam docendum, uel cum auditoribus communicandum sit.

Collum tenditur & contrahitur uitiose. Nam, tenso labor subest, tenuaturque uox, & fatigatur: Affixum pectori mentum, minus claram uocem presso gutture, facit:

Humerorum contractio, aut dolorem, aut metum, aut adulationem significabit, ut elatio admirationem, qui gestus rarus est.

Brachia

Brachia deorsum incomposita non pendeant: Dextrum in contentionibus, & affectibus raro, uel ad dextram, vel ad sinistram supra oculos extendatur. Recte explicatur in latus, cum aliquid latius & spatiosius, & res alicuius ponderis dicenda est; & cum occurrunt uoces Totus, Vniuersus mundus, Omnia regna, & similes. Sinistrum, præsertim si extra suggestum dicatur, ita poterit seruari, ut quasi angulum rectum faciat, manu apposita lateri decenter, nisi cũ motibus dextri obsecundabit.

Manus (quarum maximus est in agendo usus) in gestibus exprimendis varie componuntur. Nam, pollice sublato, cæteri digiti leniter inflectuntur: uel medius digitus in pollicem contrahitur, alijs explicatis: uel quattuor primis leniter in summum coeuntibus, ipsa manus non procul ab ore, vel pectore ad nos conuersa, in sinistrum transfertur, & deinde prona ac paululum prolata laxatur: uel pollice inclinato, quattuor digitis potius remissis, quam tensis, manus supina in sinistrum latus, & prona in dextrum fertur, demonstrando, aut distinguendo, quæ dicimus: uel, cum tribus contractis, & cum pollice iunctis, index erigitur, ad demonstrandum & indicandum quippiam: qui cum affectus magnitudo postulat, aut cęlestia nominantur decenter attollitur: alleuata & ad humerum spectante manu; paululum inclinatus asseuerat, uersus in terram urget, & instigat: alias pro numero est.

Manus, modico gestu, res & personas de quibus



agitur pro ratione locorũ in quibus sitæ sunt, repræsentant. Vnde interdum personam loquentem, interdum secundam tertiamq; ostendunt: vt, si hæc pronuntiaretur sententia, Tu ne Cæsar, mihi hoc de illo dixisti? primo ad Cęsarem, secũdo ad se, tertio ad illum de quo est sermo conuerteretur huius partis gestus, & postremo ad Cæsarem rediret.

Pronomina primitiuæ, & deriuatiuæ speciei, & aduerbia in loco, et ꝑ locũ distincto designãtur gestu.

Membra simplicis distributionis, aut multa argumenta conglobata indice dextero super digitos sinistræ numeramus; ut, Multa absumpsit Antonius: Pompei magni bona, maximus uini numerus fuit, per magnum optimi pondus argenti, pretiosa uestis, multa & lauta supellex, &c. Sic etiam inductiones, frequentationes, & enumerationes omnes, quarum partes nõ ornantur descriptionibus, aut rationibus. Nam istæ numerantur gestu indicis dextri ordine suo ad digitos sinistræ; & breues descriptiones, uel adiuncta, quibus membra distributionis amplificantur, manus dextra fertur in dextrum latus; ut, Ego sum ille Consul, cui non forum, in quo omnis æquitas continetur, non campus consularibus auspicijs consecratus: non curia summum auxilium omnium gntium, &c. Hoc eodem modo pronuntiabitur diuisio per Dilemma, & Gradatio.

Cic. in Cat.

Membra distributionis quibusdam percussionib. a læua ad latus dextrum numerantur; ut, Hoc Plato, hoc Aristoteles, hoc Cicero, hoc omnes sapiunt: Accusato-

cusatoris officium est inferre crimina, defensoris diluere & propulsare, testis, &c.

Plura membra a dextrę motu in eodem loco repetito numerantur, quasi scisso aere; ut, Quid est in Antonio, præter audaciam, libidinē, temeritatē, etc. Sic etiam congeries uocum simplicium idem aut diuersa significantium. Si uero partes in congerie prę cedant, & totum sequatur, adhiberi poterit actio, quæ in fine clausulæ totam reprę sentet, utraq; manu a se disiuncta; ut, Pompeius fuit singulari innocentia, temperantia, fide, ingenio, humanitate, deniq; uirtutib. omnibus exornatus. Vel numeramus dextra sinistram percutiendo, indice & medio iunctis, & tensis, pollice ad medios articulos iuncto, duobus ultimis digitis dextrę palmam prementibus; ut, quæ spes uobis libertatis manet, si illis, & quod libet, licet: & quod licet, possunt: & quod possunt, audent: & quod audent, faciunt: & quod faciunt, uobis molestum non est.

Pulchra est actio, si ubi est dictum membratim, aliquo gestu distributionis, dicamus incisim alio. His modis gestuum agi potest etiam in membris Repetitio, Conuersio, Complexio, Epanodos, Disiunctio, Polysyntheton, Asyntheton, Subiectio longior, Expeditio, siue Remotio caussarum, Pisma, siue Ratiocinatio.

Contrariorum duorum, uel plurium conflictio, perfecta comparatio, similitudo, & dissimilitudo, uel disiunctio rei vnius ab alia, vel pluribus, his mo

dis exprimitur. Primo cum utraque manus in suum latum transfertur, utroque pollice comprehendente suum indicem. Deinde, cum dextram transferimus supinam in sinistrum latus, et eandem mox pronam referimus in dextrum, uel contra, idq; pollice intus inclinato, & quattuor alijs digitis remissis, uel alio modo digitis collocatis. Postremo, cum dextram ferimus quocunque modo dispositam prius in sinistrum, deinde in dextrum reducimus. Exempla peti possunt a figuris contrariorum, comparatorum, similium, dissimilium; Vt, ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprũ: hinc fides, illic fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc constantia, illinc furor: hinc honestas, illinc turpitudo: denique ęquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, & uirtutes omnes certant cum iniquitate, luxuria, ignauia, temeritate, & uitijs omnibus. Postremo, copia cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum desperatione & amentia, bona spes cum omni rerum desperatione confligit. Exemplum similitudinis, Vt hirundines ęstiuo tẽpore pręsto sunt, frigore pulsę recedunt; ita amici sereno vitę tempore pręsto sunt, sed simulatque hyemem fortunę uiderunt, deuolant omnes.

His gestibus unius auctoris sententia in plures sensus distinguetur, uel duorum duas: Iisdem aguntur, Contentio, Commutatio, Correctio, & Conduplicatio. Vbi uero fuerint plura membra in uno exemplo distributionis, aut comparationis, aut plures cõ

trario-

trariorum conflictiones, & comparationes, et similitudines simul iunctę per amplificationem, aut separatim tractatę actio uarianda erit: prout rerum ratio postulabit, et personarum; ut gestu reprę sententur, ut positę sunt in suis locis.

Manus sinistra raro sola gestus recte facit: simul tamen sinistra cum dextra exprimit multitudinem, magnitudinemque rerum, & affectus, numeratque.

Gestus recte incipitur dextra, a latere sinistro, simul incipiente sententia: exponitur uero a dextris una cum fine sententiæ, Est autem ineptum, gestum sæpe deponere in eadem sententia. Quædam alia quę de manuum, & brachiorum gestu dici possent, sequẽtibus disputationibus dicentur: ad alias igitur partes pergamus.

Pectus, & uenter, ne proijciantur, obseruandum est. Pendent enim humeri a tergo; & omnis supinitas est odiosa: in theatro tamen non dedecet.

Pes aliquando terram feriet, in contentionibus incipiendis, aut finiendis, ut in iracundia, & obiurgatione asperiori. Rarus pedum inceßus, nec ita longus. Discursare vero ineptum est: ne quis ab oratore petere poßit, Quot millia paßuum declamauerit. Potest autem quis uno paßu quandoque progredi, cum se ab una parte in aliam transfert, ut alloquatur aduersos auditores: Verum ne pes currat, aut deambulet, prohibet frequenter loci angustia.

De singularum partium orationis pronuntiatione. Disput. 8.



NISI *tanta esset recte pronuntiandi, tum necessitas, tum difficultas, quæ hucusq; de suscepta materia scripsimus, satis profecto uideri possent: cęterum, ut adhuc planius rem maximi momenti exponamus, de singularum partium orationis pronuntiatione, in gratiam eorum, qui bono hac in parte destituuntur magistro, aliquid priuatim scribemus.*

Antequam autem de re proposita aliquid doceo, illud vniuerse dixerim, vocem & actionem debere respondere personis, rebus, orationis partibus, sententijs, et uerbis. Videbit itaque Orator, apud quos sit dicturus: Neque enim eodem decent in uoce, & in gestu, apud Principem, apud Senatum, apud populum, atq; apud iudicium priuatum, aut publicũ. Rerum habenda est ratio in tota oratione & materia: Res enim magnæ & difficiles, sicut oratio omnis grandis, postulant uocem plenam animi, & grauiorum affectuum, atque gestum concitatum. Temperata materia, & oratio, requirit uocem suauẽ, sonum medium, & gestum sub aspectum pulchre cadẽtem. Materia, & oratio tenuis, grauem & summissam uocem, atque canoram, & gestum parciorẽ.

Rursus, ut omnis nostra oratio diuidi potest in expositionem, in argumentationem, & in amplificationem; manifestum est, etiam rudibus, alia uo-

ce & actione exponendum, alia probandum, alia amplificandum esse: quæ partes alias sub se continẽt: Expositioni, exordium, narratio, propositio, & diuisio finitima sunt. In argumentatione uero aliquan do probamus, aliquando confutamus: & interdum sedatius atque subtilius, interdum uero acrius atq; uehementius disputamus. In amplificatione adhuc maior est uarietas: In hac enim diuersarum rerum magnitudinem attollimus, & amplificamus, & uarios affectus excitare nitimur; in quib. Indignatio, & Commißeratio præcipue numerantur. In affecti bus tractandis tam uaria debet eße actio, quam ipsi sunt uarij, ut postea dicetur.

In expositione igitur, cum citra argumentationẽ rem aliquam, obscurum ue locum exponimus, sedata opus est pronuntiatione, interuallis tamen distincta, voceq; paulum pro sententiarum natura mu tata: ut ipsa pronuntiatione, quas res demõstramus, eas auditorum animis inserere uideamur. Sed iam priuatim de Exordio expositioni subiecto dicamus.

Exordio, inquit Fabius, lenis conuenit pronuntiatio: nihil enim gratius ad conciliandum uerecun dia: Itaque & uox temperata, gestus modestus, & sedens humero toga, & laterum lenis in utranque partem motus, eodem spectantibus oculis, docebit. Errant itaque qui initio, uel ingenij, uel libertatis ostentandæ gratia, ita dicere incipiunt, ut quadam arrogantiæ suspicione non careant: & auditores quo dammodo contemnere uideantur. Peccant etiam,

qui nimium uocem contendunt; quod tunc potissimum faciunt, cum frequens est concio, uel ut melius audiantur: uel quia quodam maiore calore ad dicendum, ob maiorē frequentiam, cōcitantur: quos uox, & uires in cursu deserunt, & ita lente, & languide finiunt, & a flamma in fumum desinunt. Hoc igitur tempore comprimendus est animus, & ad maiora seruandus. Cum ergo exordium summissum, uel temperatum dicendi genus requirat, uerecunda, modica, uel nulla sit actio: totum corpus sit stabile & trunco simile, & in hanc, uel illam partem non uacillet.

Gestus uero totius corporis uniuersus erit cum laterum inflexione, & conuersione leni, forti, & uirili, eodem spectantibus oculis, capite, & humeris sensim obsecundantibus. Hac eadem tarda, & graui laterum, uultusque conuersione, in reliquo orationis cursu utetur Orator: non tamen nimis frequēter, & sine iudicio atque delectu: Sed quibusdam notatis prius, quoad fieri poterit, rebus insignibus, & personis; ut nunc ad has, nunc ad illas pectus, uultum, & gestum ita dirigat, ut a pluribus uideatur, & audiatur. Hac enim pronuntiandi uarietatis gratia delectabit, & rebus quas animo concepit melius explicatis, & se, & alios magis afficere poterit. Varietas enim gestus, sicut & figurarum ualde delectat: similitudo, & idem motus corporis & alicuius partis, fastidium parit.

Manus

Manus in principio, uel immotę, uel dextera paululum ultra pectus, & intra humerum, gestu quodam modestissimo, protendetur, ad nosque conuersa feretur: deinde prona ac paululum prolata laxabitur; alleuato plerumque pollice, & reliquis digitis leniter inflexis, uel medio digito in pollicem cōtracto, tribus explicatis, uel indice tantum, uel indice medioque digito pollici iunctis, reliquis duobus remissis. Verum in exordio uehementiore & grauiore pronuntiatione, & gestu opus est grandiore; vt in patheticis orationibus, quæ ex abrupto incipiuntur.

De narratione, Narratio, magis prolatam manum, gestum distinctum, & uocem sermoni proximam, siue grauis soni, sonum autem simplicem frequentissime postulabit, in ijs quæ nullos continent animorū motus, aut quid simile, quod uariam agendi rationem exigat. Est tamen narrationis pronuntiatio interdum difficilior, quam contentionis actio: Fab. *cum in hac ipse animi motus, & ardor actionem instruant; in illa uero cum sit minime actuosa, ars potius, & prudentia dominatur. Sunt tamen narrationes aliquæ, quæ affectus recipiunt, quarum actio non perinde difficilis est. In omni itaque narratione uocum uarietate opus est, ut quo pacto quidque gestum sit, ita narrari uideatur. Quod strenue factum fuisse ostendere uolumus, celeriuscule dicemus, & modo acriter, modo clementer, tum męste, & hilariter in omnes partes commutabimus, ut uer*- Lud. Gra.

ba,

ba, ita, & pronuntiationem. Si in narratione dicta, rogata, responsa, admirationesque inciderint, diligenter animaduertemus, ut omnium personarū sensus uoce exprimamus. Egressiones, fere leniter, dulciter, & remisse pronuntiantur.

Propositiones, sicuti, & expositiones efferuntur, non acriter, non concitate, sed sedate, uoce interuallis distincta, & paulum pro sententiarum natura, uariata, ut ipsa pronuntiatione, quæ demonstramus, animis auditorum inserere uideamur.

Herb. Fab. *De confirmatione, seu probatione, argumentationeque: confirmatio plerumque acriorem, & alacriorem uocem, gestumque desiderat; hoc est, fortem & instantem celeritatem. Instandum quibusdam in rebus, & desanda oratio: ubi uocem augere, & torquere sonum, & celeriter cum clamore verba conficere oportebit; ut uim uolubilem orationis uociferatio consequi possit. Asseueratio enim, plus interdum, quam ipsa probatio ualet. Fiducia igitur appareat, & constantia, utique si auctoritas subest quando autem rationes erunt obscuriores, impetus cohibendus erit acuta uoce, sedata actione, & longioribus interuallis utendum; ut hac distinctione apertior fiat oratio, & auditoribus spatium percipiendi detur. Celeritas, enim non modo rudibus, sed etiam doctis impedimento est.*

At uero Amplificatio, in affectibus pręcipue locum habet, qui, ut supra indicauimus, tam uariam uocis & actionis figuram desiderant, quam sunt

ipsi uarij. Prima igitur in hoc cura esse debet, ut affectus, & motus animi in nobis sint: tunc, enim ipsi naturali ui erumpent; & ut ueri motus sunt, ita uere auditores afficient. Neque enim aliud agit ars quam ut naturam imitetur: ad quam tamen ars nulla, quamlibet consummata sit, pertingere potest. Quare, id nunquam declamator efficiet, quo bonus orator ueris affectibus incensus faciet. Qui sic igitur commotus fuerit, is plane, ipso affectu docente, intelliget, quam dissimili uocis figura affectus tractandi sint:

Peroratio quoque uariam habebit actionem, pro ut ad uarios fines fuerit comparata: si ad concitandum sit composita, uocem uehementem, & motum requirit concitatum: si ad mitigandum, postulat modestos gestus, & suauem uocem: si ad merorem, uocem flebilem, & gestus tardos, & fractos: si ad letitiam, alacrem, celerem, excitatumque gestum, ac uocem. Vniuerse autem, huius partis, sicuti & Contentionis actio debet esse uaria, uehemens, plena animi, plena spiritus, plena doloris, plena seueritatis; præsertim, si auditoris animus quasi machinatione aliqua, tum ad seueritatem, tum ad remissionem, tum ad tristitiam, tum ad lætitiam est Anton. Li.2.ora. *contorquendus. Quod si epilogus esset breuis, uel solam enumerationem contineret, graui uoce, & moderato gestu cum aliqua celeritate pronuntiandus erit.*

Sed iam aliquid de periodo dicamus. In toto antecedRuen-

tecedente periodi, quod plura habet membra, spiritum, & uocem æquabili suo modo sustentamus: in principio redditionis, & consequentis periodi nonnihil dimittimus. Virgulæ moram postulant modicam, membra longiusculam, puncta longiorem, nec tamen nimiam: quoniam tolleretur attentio, & periret affectus. Vbi cauendum est, ne uox continuetur, donec deficiat spiritus; est enim uitium maximum, ut alibi respirare, quam in illis interpunctis: quia frangitur sententia, nec commode ab auditoribus intelligitur. Finem orationis simplicis, uel per interrogationem elatæ, si ad concitandum sit compositus, decet intensior sonus; si ad delectandum, aut docendum lenis. Finis periodi grata modulatione dimittendus est.

De sententijs: sententiarum recta pronuntiatio ab earum significatione bene percepta, & concepta pendet: quare, pro earum significatione hoc, uel illo modo pronuntiandæ erunt. Graui uoce, & moderato gestu, quæ docent: media, quæ delectant: acuta uero, quæ mouent, præsertim illæ in quibus aliqua animi affectio maior, uel minor designatur: de quarum pronuntiatione mox priuatim agemus.

De singulis dictionibus nihil aliud occurrit dicendum, quam id quod supra diximus, cum de dictionum tono egimus. Significatio igitur, & emphasis attendenda est. At non hęc, ait Fabius, Misellus, & Pauperculus summißa, atque contracta, Fortis, & Vehemens, & Latro, erecta, & concitata

uoce

uoce dicenda ſunt? Accedit, enim uis, & proprietas rebus tali adſtipulatione: quæ niſi adſit, aliud uox, aliud animus oſtendat. Quid? quod eadem uerba, mutata pronuntiatione, indicant, affirmant, exprobrant, negant, mirantur, indignantur, interrogant, irrident, eleuant. Aliter dicitur, Tu mihi quodcunque hoc regni, &, Cantando tu illum? quam hoc, Tu ille Aeneas? & hoc, Meque timoris arguetu Drance: & ne morer, ait Fabius, intra ſequiſque, uel hoc, uel aliud quod uolet, per omnes affectus uerſet, uerum eſſe quod dicimus ſciet. Sed ut quæ diximus, adhuc planius doceamus, iam priuatim, de ſententiarum recta pronuntiatione agamus.

De recta ſententiarum pronuntiandarum ratione. Diſp. 9.



T una ex præcipuis eloquentiæ partibus ſemper habita fuit eloquutio, & in eloquutione nihil eſt figuris ſententiarum illuſtrius, & ad tria munera Oratoris præſtanda accommodatius; ita in actione, quæ eſt ueluti quædam corporis eloquentia, nihil eſt difficilius, neque ad docendum, ad delectandum, atq; mouendum aptius, quam recta earum ſententiarum pronuntiatio, quibus alquis erumpit affectus: quarũ, uim, atque uarietatem geſtu exprimere, ut eſt ualde utile, ita eſt maxime difficile. Propterea, nõ ab re fore

fore existimaui, si priuatim de recta pronuntiatione earum sententiarum quibus uarij animi habitus gestusque exprimuntur, scriberem; quod hac disputatione facturus sum. Nonnullas itaque sententias prosequar, in quibus, tum sententiarum, tum uerborum schemata quędam exprimuntur, quarum magis obseruanda est pronuntiatio.

Et ut ab interrogatione quæ est omnium frequentissima, & uaria auspicemur, sententiam quę interrogationem continet dissimilem a communi sermone pronuntiationem requirere, manifestum est; idque pro affectuum quos exprimit uarietate. Quare, si interrogatione aliquid posꝯemus, uoce blanda utemur: maiore, cum optantes interrogabimus: grauiore uoce, & uehementia maiore cum interrogando instabimus: acuta uoce & concitato gestu cum redarguemus: denique, cum dubitabimus, hærentis, & anxij animi uoce, & gestu interrogabimus. Quo me uertam? vnde initium capiam? Interrogatio fiet, & agetur plerumque dextram ad nos conuersam paululum attollendo: Responsio uero, temperata agetur manu prona, & laxata; ut, Cur uirtus est laudabilis? Quoniam facit hominem bonum in quo est. Rationem proferemus manu dextra prona & digitis deorsum spectantibus, mox eadem ad nos conuersa, & resoluta, ut quasi re uera aliquid proferat; ut, Deseruit amicum, sed coactus legibus. Ita fiet in Correctione, Dicęologia, Aetiologia, & alijs figuris a caussarum loco sumptis.

Vrge-

Vrgebit autem ac instabit oraror, nunc totam manum contrahens, nunc totam explicans: uel indice prono, reliquis tribus digitis in pollice pressis; uel duobus medijs pollici subiectis: uel summo articulo uel medio indicis sinistri leniter apprehenso: uel denique medio dexterę digito in pollicem contracto, reliquis tribus explicatis, & brachio libentius prolato. Instat & urget orator, cum petit ab aduersario argumenta, coniecturas, uel testes, uel ut sui facti caussas reddat, & cum argumentis premit.

Exclamatio, ut uarios manifestat affectus, ita uoce uaria maiore uel minore exprimenda erit, nūc commiserationem, nunc indignationem, nunc redargutionem acriorem continet, uarijsque interiectionibus uehementi affectu prorumpit: unde ad cōmouendum maxime confert, si suo sono, & gestu fuerit ornata. Exclamamus utraque manu quesi expansa, rei magnitudinem significante: quæ magnitudo interdum brachiorum sustentatione, & manuum nonnihil supra pulpitum utrinque locatarum ostenditur.

Eadem fere ratione pronuntianda est sententia quæ apostrophen continet; conuerso ore & pectore ad eam personam, rem ue ad quam fit, brachijs aliquantulum subleuatis, & inter se conuersis.

Admiratio graui tono, aut etiam acuto, præsertim si indignationem contineat: quam uultus & frontis comitabitur motus. Admiramur itaque manu resupina a minimo digito collecta, flexuque redeunte

deunte explicata, & conuersa, oculis in cœlum suspicientibus: uel motu dextræ ad sinistram unde descendet resiliente.

Optatio, desiderantis animum uoce quadam sensim prolata, interdum suauiter, alias clementer, alias acriter emissa, pro rei natura quæ desideratur: optamus autem, manibus sublatis, iunctis, aut disiunctis. Optationi contraria est Imprecatio, quæ uocem acri, & horrida enuncianda est: at uero, Bonaprecatio, suaui uoce, & leni.

Deprecatio, siue obsecratio, blandam, & mollem, non tamen effeminatam uocem requirit; sicuti etiam Inuitatio. Fit autem Deprecatio, uel ad Deũ uel ad homines, utranque manum uel attollendo, uel submittendo, & utraque iuncta, aut protensa. Verum, cum Deo supplicamus attollimus, cum hominibus, submittimus.

Hortatio, uoce quadam celeri quæ hortãtis auctoritatem demonstret, uultu uirili, & grato exprimenda est. Hortamur manu dextra caua, supraque fere altitudinem humeri dextri graui motu elata. Simili fere ratione castigamus; ut, Quousque piger dormis? quando consurges a sono tuo? Vsque quo paruuli diligetis infantiam?

Asseueratio, quæ interdum plusquam ipsa probatio acrimoniam in uoce & uultu requirit, quæ causſę fiduciam præ se ferat. Asseuerabimus, uel dextra remissa pectori ad mota, uel manibus quadam grauitate complosis, uel indice in cœlum erecto,

cto, cęttris cum pollice iunctis, & brachio nonnihil contorto.

Eodem fere modo adiurabimus, & iurabimus; cum Adiuratio, & Iuramentum sint asseuerationes quędam.

Indignatio, attrocem poscit pronũtiationem, uultumque acerbum: quæ stricto pugno, percußoque pulpito, uel pugno compreßo pectori admoto, aut dextra lęuā percutiente fit: aut pede orator supplodet, & terram quatiet, præsertim in finienda, aut incipienda contentione: sic etiam ira, nimiæ leuitatis correctio: sic Reticentia, & Præcisio, quæ ex indignatione, & ira proficiscitur. Si uero ex affectu admirationis attonitus hęrebit, ac subsistet orator, non quadam ficta arte, sed ex affectu fiat. Huc etiam pertinet Comminatio, siue Minæ, quæ uocem acrem, magnam, seueramque exposcit: minitamur autem indice erecto, & moto.

Dolorem, & tristitiam flebili, & męsta uoce manibus inter se complicatis, uel ad utrumque latus deiectis significamus, uel dextera pectori admota.

Abominatio, siue auersio, contentam, uelocem acremque uocem requirit. Auertit itaque orator animum, uultumque a rebus turpibus, humero sinistro prolato, capite, & uultu ad dexteram urgente, dextra in lęuam propellente: uel utranque manum in sinistrum latus auertit, aut aduersum abijcit, aut in latus utrinque distendit, uel dimissis

superciliis in terram excutit, capiteue renuit: uel denique dextra in sinistrum latus, unde descendebat resiliente.

Item remittit, negat, omittit, uel capite renuẽdo, uel manu quasi obiecta in latus dextrum, uel dextra in sinistrum, unde descendebat resiliente; præsertim si duplicetur negatio, ut fit in conduplicatione, & correctione, Non fuit, non fuit, inquam.

Mitigabit uoce leni, summissa, placido aspectu, manu prona, & leniter incuruata uersus eos, quorum iram, aut dolorem mitigat, paruisque interuallis mota, humeris paululum modesteque assentientibus.

Ironica sententia explicatur vultu paululum auerso, & utraque manu, uel utroque indice in latus protenso, cum aliquo capitis motu, & interdũ cum aliqua risus significatione.

Vocamus manu sursum flexa: dimittimus auersa, aut in latus protracta, ut, Huc ades formose puer: tibi lilia plenis ecce ferunt Nymphæ.

Vt figuræ sententiarum quæ uarios exprimunt affectus uariam postulant pronuntiandi rationem, ita etiam nonnulla uerborum schemata, quæ fere sine affectu non enuntiantur; ut sunt Repetitio conuersio, subiectio, complexio, & quædam aliæ.

Similiter Sermocinatio, in cuius pronuntiatione uarianda erit uox, pro ratione personarum quæ loquuntur. Est itaque in sermocinatione uox, & gestus

gestus uarius: quam sicuti, & alias omnes is demũ bene pronuntiabit, qui affectum sententia comprehensum, iuxta ea quæ diximus, (neque enim singula prosequenda sunt) nouerit exprimere.

Deniq;, illud admonuerim, modestiam, & grauitatem in omni pronuntiatione, & gestu omnino considerandam esse, & decorum illud, quod latenti quadam, & inexplicabili ratione, aliud est in alijs hominibus; quod quidem, tum naturale est, tum artificiosum. Ita autem prudenter captanda est actio, ne dum actoris captamus elegantiam, grauis & prudentis uiri perdamus auctoritatem. Herb.

Vbi autem oratio absoluta fuerit, Deo gratię agẽdæ sunt; atq; diligẽter animaduertendũ, sicubi erratum est; & aliorum iudicia quærenda; ut quæ minus prudentibus uiris placuerint, emendentur, quæ uero probata fuere, exercitatione confirmentur, & vsurpentur.

De vitijs in pronuntiatione vitandis. Disput. 10.

QVAE *de recta agendi ratione nobis dicenda erant, ea omnia explicasse, si diceremus, nemo nos mendacij posset arguere: sed quoniam, ut existimo, ad hanc eloquentiæ partem excolendam, non minus uitiorum quæ in agendo cernuntur, quam uirtutum cognitio commouere, & iuuare potest; ideo non inutile fore putaui, si grauiora pronuntiationis errata colligendo, quasi sub unum aspectum ea proponerem: quorum turpitudine perspecta, qui uolunt in dicendo excellere, ea studiose sibi uitanda putent. Qua arte, quidam auctor, & satis, meo quidem iudicio, belle, cum uellet urbanos mores iuuenes docere, deprauatas, rusticas, atque illiberales uiuendi agendique formas scribendo expressit. Hac itaque ratione, rursus quodammodo a principio hanc eloquentiæ partem docebimus: nam qui uitia declinare nouit, is necessario emendatam naturam sequendo, uirtutes sectabitur. Vitiorum quæ in agendo cernuntur, alia sunt a natura insita, alia praua consuetudine adscita.*

Primum igitur obseruanda ac uitanda sunt, uitia quæ minus bona natura secum affert, quæ sunt fere ista, Platiasmos, id est hiatus, cum ore, & faucibus nimis diductis sermo promitur. Ischnotes, latine gracilitas, uel exilitas, uitium superiori contra-

trariũ, cũ literę, uel dictiones graciliter proferũtur, uel syllaba syllabæ male connectitur. Mogilalia, hoc est hęsitantia in uerbis, ex aliquo irę, uel pudoris motu orta; uel si magno conatu uix exprimatur oratio. Cœlostomia, idest ex cauo ore prolatio, cum uox ueluti in recessu oris auditur. Colonotiscum uox, cum syllabę extremæ decurtantur, & deglutiuntur. Psellotes, id est balbuties, cum literæ, aut syllabæ supprimuntur. Traulotes, latine, blesitas, quod uitium ex nimio humore linguæ nascitur, ut patet in pueris, qui alicuius literę pronuntiationem non assequuntur: quo uitio laborauit Demosthenes; qui cura, & diligentia illud emendauit. Atque hęc sunt uitia, quæ interdum naturam sequuntur: nunc alia numerabimus, quæ usu accedunt, partim ex dictis ea colligendo, partim de nouo alia addendo.

Deinde, uniuerse loquendo, uitiosa est in oratore scenica pronuntiatio: multa enim decent histrionem quæ oratorem dedecent: & quæ sunt in oratore uitia, sepe sunt in histrione uirtutes. Histrio omnia nimis exquisite repręsentat, & singula imitatur, & ideo Mimus appellatur: orator modice, & grauiter, ut his uerbis disserte exposuit Antonius, Lib. 3. Omnes autem hi motus subsequi debet gestus, non hic orat. uerba exprimens scenicus, sed uniuersam rem, & sententiam, non demonstratione, sed significatione declarans laterum inflexione, hac forti, & uirili, non ab scena & histrionibus, sed ab armis, aut etiã a palestra. Et Fabius, Abesse enim, plurimum a

saltatore debet orator, ut sit gestus ad sensus magis, quam ad uerba accommodatus: quod etiam histrionibus paullo grauioribus fauere moris fuit. Ego, ut ad se manum referre, cum de seipso loquatur, & in eum, quem demonstret intendere, & alia his similia permiserim; ita, non effingere status quosdã & quidquid dicet, ostendere. Neque id in manibus solum, sed in omni gestu ac uoce seruandum est. Neque enim in illa periodo, Cędebatur in medio foro Messanę, motus laterum, qualis esse ad uerbera solet, torquendus: aut uox qualis dolore exprimitur, eruenda est. Cum mihi comœdi quoque pessime facere uideantur; qui etiamsi iuuenem agant, cum tamen in expositione, aut senis sermo, ut in Hydrię prologo: aut mulieris, ut in Georgo incidit, tremula, uel effęminata uoce pronuntiant: adeo in illis quoque est aliqua uitiosa imitatio, quorum ars omnis constat imitatione. Sed iam de uitijs, quæ in uoce, seu prununtiatione contingunt, dicamus.

Vitium est non ferendum, initium orationis concionis ue summissius auspicari, & id murmurari, quod nemo, uel paucissimi auditorum exaudiant. Nam orationis principium frequenter propositionẽ continet, unde sequentia pendent & profluunt, ac etiam, principem controuersiæ statum ad quem cętera referuntur omnia quæ dicuntur: quem, si qui adsunt non audiuerint, quorsum tendant argumenta, quæ in probatione afferuntur, non percipient. Vt ergo a principio clamare agreste quiddam est; ita per-

perniciosum ac uitiosum musitare.

Vitiosa putatur in pronuntiando Monotonia, hoc est uocis æqualitas, qua uno & eodem sono sine ulla uarietate pronuntiatur oratio. In hoc uitium facile incidunt tirones, rei insolentia ac difficultate pressi; ac etiam alij qui cum parum memoria ualeãt, ne quæ didicerunt excidant, extimescunt.

Huic uitio opponitur uocis inæqualitas: in quod uitium labi consueuere qui contrarium uitare contendunt; dum non pro sententiarum, & uocum significatione, sed pro suo libitu uocem commutant, & comprimenda attollunt, & attollenda comprimunt: quod dum faciunt, grauiter auditorum aures offendunt, & insanam ac temerariam libertatem prę se ferre uidentur.

Ex his duobus uitijs quoddam aliud quasi mistũ dicendi genus exoritur, quod quale sit, non est explicatu facile: habet enim cum æqualitate coniunctam inęqualitatem, uocisque flexum, & uarietatem a communi & uulgari sermonis consuetudine non abhorrentem, quam omnibus partibus orationis qui hoc uitio laborant, accommodant: quod perinde est, ac si quis omnibus corporis membris idem uestimenti genus uelit aptare: id, quam sit auditoribus ingratum, etiam stupidus sentiret.

Tarditas quoque in uitijs reponitur, & quæ ei est contraria nimie celeritas: illa lenta pronuntiatione omnia dicit, & auditorem ad somnum, aut nauseam prouocat: hęc nimia festinatione, quasi in fugam cõ-

uersa, utitur, & ad finē, uel propter obliuionis timorem, uel aliquem trepidationis affectum, festinat. Vtrumque itaque uitium est, celeri, aut tarda uoce omnia pronuntiare. Quare, ut in uocis figura, ita in celeritate, & tarditate prout res ipsa postulabit, uarietas adhibenda est: magis tamen peccant qui celeritate, quam qui tarditate offendunt.

His similia uitia in acrimonia, & remissione notare licet. Sunt enim nonnulli ita acri ac uehementi ingenio præditi, ut totam orationem, quasi quodam furore perciti, pronuntient: alij uero ita languidi, & remissi, ut aliquid aliud, quam agunt, agere uideantur: quamuis hi magis, quam illi a uera pronunciandi ratione absint: si tamen ita dicant, ut uocem non exasperent, & quadam ingrata, atque incondita raucedine non inficiant; neque a principio exclamare incipiant. Qui nullibi de uehementia detrahunt, in illud incommodum incidunt, ut cum rem indignam acri pronuntiatione dixerint, nihil auditores commoueant, cum omnia eodem impetu pronuntiari animaduertant; ut etiam qui ubique sunt remissi, cum commouere nequeat, qui se non esse cōmotum ostendit.

Vitium quoque censetur cantilena, de quo inutilius sit, an fędius, Fabius se nescire ait. Quid enim minus oratori conuenit, quam modulatio scenica, & nonnunquam ebriorum, aut commessantium licentię similis? Quid uero mouendis affectibus contrarium magis, quam cum dolendum, irascendum, indignandum

dum

dum, commiserandum sit, non solum ab ijs affectibus, in quos inducendus est iudex, recedere, sed ipsam fori sanctitatem, ludorum talarium licentia soluere? Quid ergo? non & Cicero dicit, eße aliquem in oratione cantum obscuriorem? & hoc quodam naturali uitio uenit. Ostendam, inquit Fabius, non multo post ubi, & quando recipiendus sit hic flexus, & cantus quidam, sed (quod plerique intelligere nolunt) obscurior. Cic. lib. 3. orat.

Illud etiam in uitijs pronuntiationis ponitur, quod his uerbis exposuit Quinctilianus, Vt est autem neceßaria uerborum explanatio, ita omnes cōputare, & uelut annumerare literas, molestum, & odiosum. Nam & uocales frequentissime coeunt, & consonantium quædam in sequente uocali dissimulantur; ut in hoc exemplo,

Mult' ill' et terris.

Sic enim pronuntiandum eßet, ut alibi diximus. Lib. i. de Eloc.

Atque de pronuntiationis uitijs hactenus: nunc de uitioso gestu dicamus: cuius etsi nonnulla uitia supra, dū de recta actione scripsimus attigimus, hic tamen planius omnes partes attingendo omnia percensebimus.

Corporis agitatio, inquietusque motus, quo aliqui magis digladiari, quam agere uidentur, dum ad unam, uel ad alteram partem se inflectunt, aut medium corpus frangunt, aut ante retroue flectunt, in maximis uitijs ponitur. Reprehendenda est, inquit Fabius, & illa frequens & concitata in utrāque par-

partem mutatio, quam in Curione patre irrisit Iunius, quęrens, quis in lintre loqueretur.

Cic. lib. 2. orat. *Huc referres humerorum iactationem, quod uitium, ut supra scripsimus, in se emendauit Demosthenes, ac etiam inambulationem inutilem, præsertim siquis inambulando dicat: & quædam alia uitia, quæ refert Fabius; ut est inclinatio ad iudices, reclinatio ad suos, &c.*

Caput deiectum, supinum, in latus inclinatum, ac rigidum, quorundam uitiorum significationem præbet, ut supra diximus: similiter frequens eius motus non caret culpa, sicuti & rotare, eoque solo gestum facere.

Vitium est in superciliјs, si aut immota sunt omnino, aut nimium mobilia, aut inæqualitate dissidet, aut contra id quod dicimus, finguntur.

Oculos apertos, compressos ue in dicendo, quis nisi plane rudis, aut stultus habeat? Fixus in unā rem, aut ab auditoribus auersus aspectus, ualde improbatur.

Labra & porriguntur male, & scinduntur, & astringuntur, & diducuntur, & dentes nudātur, & in latus traducuntur. Lambere quoque ea & mordere deforme est: cum etiam in efficiendis uerbis, modicus eorum debeat esse motus.

Ceruix rigida, & supina non caret uitio, sicuti colli humerorumque contratio atque alleuatio. Digitis, & manibus uarijs modis peccatur; digitis omnibus extensis, & dilatatis gestum facere uitiosum est

est; & contra, ijſdem contractis, ut ij faciunt, qui aquam manibus haurire uolunt: auerſo pollice aliquid monſtrare, indecorum putat Fabius. Tolli manum, idem ait, ſupra oculos, demitti infra pectus artifices uetant; adeo a capite eam petere, aut ad imum uentrem demittere uitioſum eſt. Idem, palmas complodere, ſenicum eſſe ait, licet in re maxima nonnunquam deceat; ſed ſepius facere, & aures & oculos auditorum offendit. Huc etiam pertinet ſuggeſti manibus facta percuſſio. Olim frontem, & femur ferire ſolebant; ſed frontis percuſſio diſplicet Fabio. Pedum ſupploſio non opportuna, & crebra inepti eſt hominis.

Ad ſummam, uitium cenſetur, ſi geſtus cum ſententiæ ſenſu ſimul non incipiat, & cum eadem non deponatur: & multo magis ſi geſtus, & ſententia inter ſe pugnent atque diſſentiant. Vnde Polemon Sophiſta hiſtrionem tragœdiarum, qui in Olympijs, O Iupiter? pronuntiaret, oſtenſa terra, O terra? manu in cœlum proiecta, ſubmouit a præmijs (præſidebat enim ei certamini) dicens, Hic manu commiſit ſolæciſmum. Sed de uitijs hactenus: reſtat, ut de actionis exercitatione aliquid dicamus.

De



VM omnes eloquentiæ partes ad sui perfectionem exercitationem requirunt, tum maxime omnium ea, quæ tota in actione consistit, & magis agendo, quam scribendo doceri potest. Quare non ludemus operam, si nonnihil de actionis exercitatione priuatim scribemus, & id præstabimus, quod alio loco nos facturos esse polliciti sumus: de qua quæ nobis dicenda occurrunt, quibusdam positionibus perstringemus.

Prima positio, actionis, siue pronuntiationis exercitatio est maxime utilis ac necessaria. Hanc positionem, ut probemus, cum sit per se clara, nihil est necesse. Augentur itaque, ut Fabius ait, sicut omnium, ita uocis quoque bona, cura, & negligentia minuuntur. Sed, ut communiter & Phonascis, & oratoribus necessaria est exercitatio, qua omnia coalescunt, ita curæ non idem genus est; ut plane citatus exponit auctor: quamuis multa sint utrisque communia.

Secunda positio, prima exercitationis cura in eo ponenda est, ut pronuntiationis, & actionis instrumenta conseruentur, & perficiantur; ut sunt corporis firmitas, fauces, & id genus alia. Firmitas corporis conseruanda est, ait Fabius, ne ad spadonum, & mulierum, & ægrotorum exilitatem uox nostra attenuetur: quod ambulatio, unctio, ueneris abstinen-

tia

tia, acilis ciborum digestio, idest frugalitas præstat. Vt fauces sint integræ, hoc est molles ac leues, quarum uitio, & frangitur, & obscuratur, & exasperatur, & scinditur uox. Nam, ut tibię eodem spiritu accepto, alium clausis, alium apertis foraminibus, alium non satis purgatę, alium quassæ sonum reddunt: ita fauces tumentes strangulant uocem, obtusæ obscurant, rasæ exasperant, conuulsæ fractis sunt organis similes. Finditur etiam spiritus obiectu aliquo, sicut lapillo tenues aquæ, quarũ fluxus etiãsi ultra paulum coit, aliquid tamen caui relinquit post idipsum quod offenderat. Humor quoque uocem, ut nimius impedit, ita consumptus destituit. Nam & fatigatio corpora non ad præsens modo tempus, sed etiam in futurum afficit. Et cum oratori non tam molli teneraque oratione, quam forti, & durabili opus sit, cum multa aspere et concitate sint dicenda, uigilandæ noctes, fuligo lacubrationum bibenda, & in sudata ueste durandum, uox delitijs non erit mollienda, nec ea consuetudine inbuenda, quæ nõ sit duratura: sed exercitatio eius talis sit, qualis usus: nec silentio subsidat, sed firmetur consuetudine, qua difficultas omnis leuatur. Illud etiam non sine caussa ab omnibus præceptum, ut parcatur maxime uoci in illo a pueritia in adolescentiam transitu; quia naturaliter impeditur, non, ut arbitror, propter calorẽ, quod quidam putauerunt, nã est maior alijs, sed propter humorem potius. Quo autem modo in dicendo uox conseruanda sit, ex Herenniano auctore supra docui-

Lib. 3. orat. *docuimus; & his uerbis breuiter Antonius expo-
suit. Nam ad uocem in dicendo obtinendam, nihil
est utilius, quã crebra mutatio, nihil pernitiosius,
quam effusa sine intermissione contentio. Quid? ad
aures nostras & actionis suauitatem quid est uicis-
situdine, & uarietate, & commutatione aptius?
Tertia positio, qui cum ratione in pronuntiando se
exercere vult, is diligenter eius uitia prius fugiat:
Horat. cum, ut ille ait, Prima uirtus, sit uitium fugere: &
Fab. lib. 11c, 11. illud exercitationis genus putet optimum, quod est
operi simillimum, & quotidie dicere, sicuti agitur.
Namque hoc modo, non uox tantum confirmatur,
& latus, sed etiam corporis decens, & accommoda
tus orationi motus componitur. Ediscere autem, quo
exercearis, ait Fabius, erit optimum (nam ex tem-
pore dicenti, auocatur cura uocis, ille qui ex rebus
ipsis concipitur affectus) & edißere, quam maxi-
me uaria, quæ & clamorem, & disputationem, &
sermonem, & flexus habeant, ut simul in omnia pa-
remur: alioqui nitida, & curata uox insolitum labo-
rem recusabit. Illa quidem in hoc opere præcipi quis
ferat, pitandos soles, atque uentos, & nubila, etiam
ac sicitates? Ita, si dicendum in sole, aut uentoso,
humido, calidoue die fuerit, reos deseremus? Nam,
crudum quidem, aut saturum, aut ebrium, aut eie-
cto modo uomitu, quæ cauenda quidam monent, de-
clamare neminem, qui sit mentis compos, putat
Fabius.*

Quarta positio, qui pronuntiationem recte exer-

cere

cere uoluerit, eum sibi modum, finem ue proponat, ut ita loqui & agere uelit, quemadmodum natura docet: non ergo aliter dicere debemus, atque loquimur: cum eadem rerum natura eandem utrobique agendi, & pronuntiandi rationem flagitet: nisi quod cum loquimur, uox quidem submissior, cum uero dicimus, ob loci amplitudinem, & auditorum frequentiam, eadem attollenda sit, ut ab omnibus audiatur. Quare mirandum est, quod tam pauci recte pronuntient, cum in hac parte naturam magistram, ac ducē habeant: & facile sit eo peruenire, quo natura ducit. Si quis ergo optimum uult habere magistrum, obseruet etiam ipsas mulierculas inter se loquentes, presertim si rixentur, & eas imitetur: quæ ueris animi affectibus incitatę uarias uocis figuras, ac flexus pro affectuum uarietate commutant. Verum, eos etiam loquentes inspiciamus, qui aptius, eleguantius, & cum quadam dignitate pronuntiant: atque hac una obseruatione facile discetur, quod multis præceptionibus uix explicari potest. Eam igitur pronnuntiandi rationem sequamur, quam cunctis hominibus natura ipsa, nemine docente, prescripsit. Huc referres imitationem alicuius oratoris, qui in dicendo excelleret, ad cuius similitudinem nos effingamus, & declinato si quod in eo esset uitio: nec enim prauitates imitandę sunt, quod in quibusdam notauit M. Tullius.

Sed hoc loco monendi sunt, qui ad alicuius imitationem sese accingunt, ut caute, & explorate se gerant.

rant. Cum enim in actione precipue spectetur decorum; sciant hi, non omnia omnes decere. Est enim in hoc, ut scite Fabius scribit, latens quædam ratio, & inenarrabilis; & ut uere dictum est, caput esse artis, decere quod facias, ita id neque sine arte, nec totum arte tradi potest. In quibusdam, uirtutes non habent gratiam: in quibusdam uitia ipsa delectant. Maximos actores comœdiarum Demetrium, & Stratoclem placere diuersis uirtutibus uidimus. Sed illud minus mirum, quod alter deos, & iuuenes, & bonos patres, seruosque, & matronas, & graues anus optime; alter acres senes, callidos seruos, parasitos, lenones, & omnia agitatiora melius: Fuit enim natura diuersa. Nam uox quoque Demetrij iucundior, illius acrior erat. Annotandę magis proprietates, quæ transferri non poterant, manus iactare, & dulces exclamationes theatri caußa producere, & ingrediendo uentum concipere ueste, & nonnunquam dextro latere facere gestus, quod neminem alium præter Demetrium decuit: nanque in hęc omnia statura, & mira specie adiuuabatur: illum cursus, & agilitas, & uel parum conueniens personę risus (quem non ignarus rationis populo dabat) & contracta etiam ceruicula: quidquid horum alter fecisset, fędissimum uideretur. Quare, norit se quisque, nec tantum ex communibus præceptis, sed etiam ex natura sua capiat consilium formandæ actionis. Neque illud tamen est nefas, ut aliquem omnia, uel plura deceant. Huius quoque loci clausula sit eadē necesse est, quæ cęterorū est, Regnare maxime modū.

Denique, illud in imitandis in agendo excellentibus oratoribus sequamur consilium, quod de optimorum auctorum lectione, inuitationeque agendo his uerbis, exposuit Fabius, Neque uero id statim legenti persuasum sit, omnia quæ magni auctores dixerint, utique eße perfecta: nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorũ suorum uoluptati: nec semper intendunt animos, & non nunquam fatigantur: cum Ciceroni, dormitari interim Demosthenes, Horatio uero, etiam Homerus ipse uideatur. Summi enim sunt, homines tamen: acciditque his, qui quidquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur: id enim est facilius, ac se abunde similes putent, si uitia magnorum sequantur. Hæc ille.

Quincta positio, quid exercitatio actionis ualeat, quantumq; possit, speciatim Demosthenis exemplo cognoscere licet: qui exercitationis beneficio & pertinacia naturam uicit, & ab inepto, ad aptissimũ statum peruenit, ut de eo recte a quodam dictũ fuerit, Suid. *Alium matrem, alium artem peperiße. Huius singularis oratoris circa actionem industria, his potissimum rebus eluxit.*

Primum, cum lingua uteretur parũ expedita, ita ut suæ artis primam literam pronuntiare nequiret, quo facilius uerba ore libero exprimeret, calculos lingua uoluendo dicere domi solebat. Deinde, cũ non satis firmo atq; stabili uteretur spiritu, ut eũ quam longissimum redderet, scandens in aduersum cõtinuabat quam poßet plurimos uersus. Postea, ne

populi rumor, aut acclamationes eũ dicentem impediret, ad undarum fragorem, in litore dicendo sese exercebat. Ad hæc, humerorũ iactationem, ita dicitur emendasse; in angusto quodam pulpito stans dicebat, cui hasta ad humeros iminebat, ut si calore dicẽdi iactationem uitare excidisset, offensione illa commoneretur. Denique, grande quoddam intuens speculum, actionem componere solebat. Adeo, quamuis fulgor ille sinistras imagines redderet, suis demum oculis credidit, quod efficeret.

Sed hoc loco p̃ candidũ Lectorẽ liceat mihi candido animo, meo exẽplo exponere, quãtũ actionis exercitatio possit. Iuuenilẽ ætatẽ agebã, actionis prorsus ignarus, cũ nihil unquã aut publice, aut priuate ullo in genere dixissem; cũ accidit, ut in quadã latina, et sacra tragędia in Collegio Germanico Romę, duę p̃sonæ, vnã immũdi spiritus, alteram Regis mihi agendæ fuerint; & iterũ in alia simili actione, totidẽ; et tamẽ ui priuatæ ac diligentis exercitationis tantũ paucis dieb. profeci, ut non sine omniũ audientiũ approbatione dixerim, ac speciatim M. Antonij Mureti, & cuiusdã mei præceptoris acerrimi iudicij viri: ita vt non semel audierim, Hic est ille. Hæc ideo dixi, nõ vt aliquid de me dicere uoluerim; sed ut priuato exẽplo tirones docerẽ hanc eloquentiæ partẽ speciatim ab exercitatione pendere: et quẽq; eã sibi facile posse cõparare, modo diligẽtia, in qua una virtute Cic. posuit omnia, adhibeatur nõ parua. Sed de actionis exercitatione, & de tota agendi ratione satis dictum puto.

Lib. 2. orat.

Libri Quarti finis.

DE OFFICIO ORATORIS LIBER V.

334

In quo de memoria agitur.

Quæ sit memoriæ natura. Disp. 1.



VANDAM *memorandi artem fieri po tuisse, & memoriam in eloquentiæ partibus ponendam esse, eiusq; tractationem ad Rhetorem pertinere, in altero de Arte dicendi libro me docuisse memini. His igitur de memoria capitibus suppositis, illud in præsentia nobis præstandum est, quod alias nos præstaturos esse polliciti sumus; hoc est, vt ea præcepta tradamus, quibus memorandi artem contineri a dicendi magistris existimatur. Id autem ita præstabimus, ut longam tractationem facere nolimus, quam tamē facere possemus; cum hac de re multos scriptos libros olim legerimus, et lecta notauerimus. Ad quod faciendum illud etiam nos adducit, quod uerissimum id esse putemus, in quo omnes qui hac de re scribunt, conuenerunt, Memoriam non minus ab assidua exercitatione, quam ab artis præceptis pendere.*

Ea igitur potissimum prosequar, quæ proxime ad rem facient, & quæ magis memoriam iuuare, quam obruere possunt. Nam, ut non sumus in illa

hæresi, quæ hanc artem operosiorem, quam utiliorem esse existimat; ita, non multum studij, diligentiæ, ac temporis in ea ponendum eße arbitramur: cum nimia hac in re cura, nimium obsit iudicio; id quod experientia, & ratione confirmari posset: modo quis ex hac arte inanem quandam gloriam sibi comparare nollet, ut quidam parum prudenter uolunt. Et quamuis loco citato nonnihil de memoriæ natura dixerim; hic tamen paullo accuratius de eadem re hac prima disputatione agam, ut quæ de hac arte traduntur præcepta, quid quantumq; ualeant facilius intelligi possit.

Antequam autem quicquam de re proposita scribo, quosdam citabo auctores, qui de memoria aliquid literis commendarunt.

Lib. 3. Scripsit de memoria pauca quædam Herennianus auctor: pauciora M. Tullius in secundo de oratore sermone: copiosius Quinctilianus, sed non dixit omnia: Ioannes Romberech, quem Italicum fecit Ludouicus Dulcius: Gulielmus Gratarola, Tuscanella, Herbetius libro quincto de Oratore, Petrus Guntherus libro secundo, Iacobus Publicius, libro suarum institutionum, Ioannes Metzingenus libello de præceptis memoriæ, Franciscus Petrarca, Petrus Rauennas, Matheolus Perusinus, Ioan. Bapt. Porta, Cosmus Rosellius, Iacobus Peres. Simon Lucens. Philippus Gesualdus Italice, et nonnulli alij qui de Rhetorica scripsere.

Lib. xj. c. 2.

Lib. 9. c. 17. In lib. Ari. de mem.

Et quoniam in hac disputatione nullæ sunt citandæ

auctorum sententiæ, aut ponenda fundamenta, cũ eã
philosophice examinare nolimus; propterea quæ di-
cenda sunt, quibusdam positionibus complectemur.
Prima positio, uox memoria, trib. modis sumi po-
test; pro actu memorandi, pro facultate & ui retinẽ
di in ea quæ præcepta sunt, & pro doctrina, siue ha-
bitu bene memorandi, et hoc pacto accepta, est quar
ta eloquentiæ pars. Vnde colligeres, memoriã esse
duplicem, alteram naturalẽ, uim nimirũ quandã cer
tis animantib. a natura tributam, qua prẹteritorũ re
cordantur: alterã acquisitã, siue artificiosam. De il-
la meminit Cicero, cũ dixit, virtutes quasdã nobis in
generari, ut est docilitas, & memoria; per quã ani-
mus repetit quæ fuere: & Plato cũ memoriam, &
oxymathian. i. dicẽdi celeritatẽ naturæ tribuit: q̃ fe-
re oĩa uno ĩgenij nomine designãtur, et has virtutes
q habẽt, ingeniosi. De altera vero, cũ de Simonide lo
quẽdo dixit, Quẽ primũ ferũt artẽ memoriẹ ꝑtulisse.
Secunda positio obiectum, siue res in quã fertur
ac terminatur memorandi actus, est res præterita
iã cognita. Quoniã, nemo dicit se memorari futura,
aut præsentia: erit igitur præteritorũ. Ex quib. pri-
mũ inferres, aliqd de nouo discere, nõ esse memorari,
aut reminisci: cũ id discatur, quod prius ignotũ fue-
rat. Deinde, ex dictis inferre licet, ea solum animalia
memoria esse prædita, quæ tẽpus præteritũ ꝑcipere
possunt. Postremo colligeres, ad actum memoriæ ne
cessariũ esse ut aliqd rei iã prẹteritæ, aut ẽt corruptæ
in eo qui recordatur remaneat. Id autẽ qđ remanet

Alber. summã de hom. tract. de memor.

Damas. lib. 2. de fide. ca. 20.

Lib. 2. orat.

sunt similitudines ac species rerum iam perceptarum; quarum sedes sunt spiritus in cerebro residentes; in quibus illæ sunt impressę figurę, sicuti picturę in picta tabula; ac etiam cerebri substantia, ut quidam docent.

Colleg. Conimbr.

Tertia positio, memoria non est idem quod reminiscentia: Nam reminiscentia, proprie loquendo, est eorum, quorum obliti sumus, quorum non statim recordamur, cum ea cogitare uolumus; ut sunt illa quorum species non statim occurrunt: Est itaque reminiscentia quasi rediuiua memoria siue memorię collapsę innouatio. Memoria vero est earum rerum quas prius cognoscimus, & nos cognouisse animaduertimus: quarum species sunt in promptu, & sine ulla mora, uim memorandi excitant. Vtraque tamen in pręteritum fertur: ac proinde qui memorari & reminisci uolunt, pręteriti temporis rationem habere debent. Vnde, memoria est rei ante cognitę at cognita est repetita cognitio.

Themis. li. 2. paraphr. de anim. c. 4. in.

Quarta positio, ad producendum actum memorię uarij requiruntur actus. Ad hujus positionis explicationem animaduertendum est, omnem nostram doctrinam ortum habere ab ijs rebus quę sub sensum cadunt; quę per quasdam sui similitudines in nostros sensus quasi per portas ingrediuntur. Externi uero sensus, hoc est aspectus, auditus, odoratus, gustus, & tactus, quas accipiunt rerum imagines ac species, eas ad internos sensus transmittunt.

Sunt autem sensus interni tres, quorum primus

dicitur

dicitur sensus communis, sic dictus, quia singulas sensuum exteriorum species cognoscit: quas postea transmittit ad secundum, qui uocatur phantasia, siue ęstimatiua; cuius munus est cognoscere res etiã absentes, atque de eis iudicium ferre sub ratione boni, & mali; & ita format quasdam notitias, quas uocant, species non sensatas, & has, & illas quas a sensu communi accepit, conseruandas tradere memorię, quę est tertius internus sensus. Primus resi- Colleg. Conim. D. Tho. 1. par. q. 79. ar. 7. Arist. li. de anim.
det in prima cerebri parte, secundus in secunda, tertius in tertia: tot enim, ut scribitur, sunt in cerebro quasi cellulę, in quib. tres sensus interni residēt.

Cum ergo homo actum memorandi uult producere, cogitatiua in brutis, & intellectus in homine repetit, ut ita dicam, conseruatas rerum imagines a memoria, quę res iam cognitas sub ratione præteriti repręsentat, & ita, re pręsente, actus producitur memorandi: ad cuius generationem quattuor motus sunt neceßarij, ut aliqui scribunt: unus quo spiritus in quibus susceptę species continentur, traducuntur ad memoriam: alter, quo formę illę in memoria imprimuntur: tertius, quo a ui memoratiua ad cogitandi, siue intelligendi uim formę illę redeũt, cum aliquid cognoscere uolumus: postremus actio ipsa recogitandi, quę proprie est memoria, quam ars promptam & expeditam reddit, ex quibus colliges, memorandi facultatem solum species ipsas conseruare, non autem actum ipsum producere. Sed de his accuratius uideant philosophi: nos ad ea pergamus

Fernel. lib. 6. sue physiol. Gal. li. 3. de locis affectis. cap. 5.

mus quæ proprius ad rem nostram pertinēt: uerum quæ ad pleniorem huius tractationis cognitionem attigimus, ea non sunt inutilia.

Ex ijs quæ dicta sunt nonnulla colligere licet; primum, memorandi uim esse materialem, de sensitiua loquor: neq; .n. negamus memoriā intellectiuā, quā cum nonnullis diceres non esse ab intelligētia distinctā, sed esse eandē, ut in futurum fertur. Deinde, ex dictis intelligi potest, cur imagines rerum quarum recordari uolumus uim habeant ad excitandā memoriam, hoc est cognoscendi uim, ad cogitandum id, qđ iam cognoueramus: quia nihil in hac uita possumus cognoscere sine phantasia, quæ cum sit uis in corpore, pendet a rebus corporeis, ad quarum præsentiā excitatur, & ad cognoscendum prouocatur: non secus ac ille, qui redeundo ad locum in quo aliquid fecerat, ex loci præsentia, in rei factæ cogitationē uenit. Postremo colligeres, cur alius alio meliore, aut deteriore utatur memoria; ea nimirū de caussa, quia ab habitu, & instrumentis corporis pendet; et maxime a diuersa cerebri in quo residet natura; quāuis in omnibus eodem modo sit perfectus animus.

Colleg. Conim. D. Tho. 1. par. q. 79. ar. 7. Arist. li. de anim.

Ib.

Fernel. lib. 6. suę physiol. Gal. li. 3 de locis affectis. cap. 5.

Quinta positio, memoriæ bonitas pendet ex bono cerebri, siue potentiæ memoratiuę habitu, ex humiditatis & siccitatis bona temperatione nato. Temperata itaq; humiditas, & siccitas bonā cōstituunt memoriā: illa ad imagines recipiendas, hæc ad easdē retinendas confert: quo fit, ut nimia humiditas retētionem, & siccitas immoderata perceptionē impediat.

Frigiditas autem maxime omnium memorię aduersatur; quia eã confundit: ut merito Paullus Aegineta dixerit, Frigiditatis filia est obliuio. Obest etiã nimia caliditas, unde oritur siccitas: quare utriusq; tẽperatione opus est. Ex quib. intelligi potest, cur ĩfantes & senes parum memoria ualeant: illi ob nimiã humilitatem, hi ob siccitatem. Quare, qui a natura bonam sortiti sunt memoriam, hoc donum sane maximum summo Parenti omnium bonorum largitori acceptum referant: quod, ut deinceps dicemus, medicamentis, arte, & exercitatione iuuari potest.

Sexta positio, naturalis memoriæ bonitas ac perfectio, consistit in facili apprehensione, & firma retentione, atq; in rerum repetitarum expedita redditione. Qui ergo facile apprehẽdunt, firmiter retinẽt, & expedite promunt, bona sunt memoria præditi, qui contra, mala, aut minus bona.

Ad hos autẽ actus producendos mirũ in modum artificiosa memoria confert, ut postea dicetur; Quã hunc in modum definires, Memoria est memorãdi facultas arte & exercitatione aquisita; siue ars, qua cito res cõprehenduntur, firmiter retinentur, ac facile promuntur: uel cũ alijs hoc modo, Memoria est firma rerum, & uerborum dispositionis, elocutionis, et obseruatę pronunciationis cõprehensio: harum.n. rerum custos est memoria. Ex quib. illud inferre licet, hãc artẽ naturalem memoriã confirmare, et augere, & nõ solum cõferre ad facile memorãdum, sed etiã ad facile discendum, cum comprehensionem iuuet. Atq; de hac prima disputatione satis. Herb.

Quanta sit memoriæ utilitas, atque necessitas. Disput. 2.



NVTILE *sane censeri posset, quicquam de memoriç necessitate & utilitate scribere, si homines tantam in ea excolenda ponerent diligentiam, quantam sane ponerent, si quantum utilis & necessaria est, intelligerent; nec fuissent, qui eam inutilem esse existimarunt. Cum ergo in hac arte, siue facultate excolenda, quæ est omnium artium fons, atq; origo, omnes qui literas profitentur, non sine maximo detrimento negligentes sint; aliquid de rebus propositis mihi scribendum duxi: de quibus, cum nihil notandum occurrat, ita breuiter statuo.*

Ippon. Camer.

Id.

Prima positio, memoria artificiosa fuit inuentu necessaria. Primum quidem, quoniam corporeis imaginibus quasi quibusdam sigillis earum rerum formæ memoriæ, quæ alias non facile eas recipit, imprimuntur, & ueluti notæ quædam inuruntur. Deinde, quia hominum memoria, ut plurimum, est exilis, labilis, atque infirma, ac proinde artificiosis præceptis, quasi quibusdam fulcris, non secus ac domus quç uitium facit, fulcienda fuit. Postea, quia spiritualium rerum notiones mente conceptæ, facile effugiunt, nisi idolis quibusdam retineantur. Denique, idem patet a simili de scriptura, & literis, quarum; ad multa conseruanda, maxima fuit, necessitas quamuis, ut quidam putarunt, literarum

inuen-

inuentio nonnihil detrimenti memorię attulerit:
quia quę scriptis commendauimus, custodire desini
mus, ipsaque securitate dimittimus.

Secunda positio, memorandi facultas eiusque
vsus maximas secum utilitates affert. Hanc posi-
tionem per se notissimam illustrabimus aliquot nu-
merando fructus, quos diligens memoriæ cultura
producit.

Primum, si illud contritum prouerbium uerum
est, Tantum scimus, quantum memoriæ manda-
mus, una sola memoria est, per quam docti & sapiē
tes nominari poterimus. Et sane, quid prodest
multa audiuisse, legisse, aut scripsisse, si nihil in ani-
mo memoriæ beneficio retineatur? nihil profecto.
Non secus ac si quis multos & boni succi cibos e-
deret, & nihil alimenti retineret: uel, si quis mul-
tas opes laborando acquireret, quas statim dissipari
sineret. Posset ne is cum Biante dicere, Omnia mea
mecum porto (id quod cum a patria discedebat Pe-
trus Rauennas vsurpabat, cum secum, memoriæ be-
neficio, suam bibliothecam exportaret) si ea non in
memoria, sed in libris tantum possideret? Si ergo
aliquis scientis & sapientis nomen uere possidere
uult, is memoriam excolat: ne in eum dici possit,
quod in Philomusum dixit Ausonius.

Emptis quod libris tibi bibliotheca referta est,
Doctum & Grammaticum Philomuse putas:
Hoc genere & chordas, et plectra, et barbita conde,
Hodie mercator, cras citharędus eris.

Dein-

Deinde memoria, ut Fabius ait, boni ingenij famã facit: ut illa quę didicimus, non domi atulisse, sed ibi protinus sumpsisse uideamur: quod & Oratori, et ipsi caußæ multum prodest. Nam & magis miratur, & minus timet iudex, quę non putat aduersus se pręparata. Idque in actionibus, inter precipua seruandum est; ut quedam etiam quæ optime iunximus, uelut soluta enuntiemus, & cogitãtibus nonnunquam & dubitantibus similes quęrere uideamur, quę attulimus.

Postea, bona memoria maxime confert ad subitam orationem habendam; cum is possit subito dicere qui multas res memoria est complexus: aut qui, quocunque temporis spatio dato, quæ inuenerit stabili memoria conseruare poterit.

Ptæterea, efficit memoria, pręsertim artificiosa, hominem euphantasiaton, hoc est, facilem ad imaginandum; quod sane ad multa multo melius percipiẽda, & exprimenda est maxime necessarium: cum uerum sit pronuntiatum illud, Opus esse intelligentem phantasmata speculari.

Lib. i. de Eloquit.

Ad hæc, efficit ut secure & prompte ea quæ didicimus, dicamus, & ut elegantius rectiusque pronuntiemus, atque agamus: quæ utilitas est sane maxima. Et quod huc facit, uiri alias docti & eloquentes, ob unius memoriæ uitium in agendo defecerunt, ut Theophrastus, Demosthenes, Herodes Atticus, et Heraclitus Sophista. Qui igitur orationem agẽdo fædare, aut plane corrumpere non uult, is memorię culturam nõ negligat: ne dum id quod parum tenet, sibi excidat, timeat.

Pet. Cri. lib. 3. c. 3

timeat. Inde interruptus actionis impetus, et resistẽs ac salebrosa oratio, & qui dicit ediscenti similis, etiã omnem bene scriptorum gratiam perdit, uel hoc ipso, quod scripsisse se confitetur, ut ait Fabius.

Iam uero, memoria artificiosa conseruat, auget, confirmatque naturalem memorandi uim, efficitque ut facilius rem comprehendamus, retineamus, atque promamus. Et ut hunc locum cũ Antonio concludã, Qui sit autem Oratori memoriç fructus, quanta utilitas, quanta uis, quid me attinet dicere? tenere quæ didiceris in accipienda caussa, quæ ipse cogitaris, omnes fixas esse in animo sentẽtias, omnẽ descriptum uerborũ apparatũ, ita audire, uel eũ unde dicas, uel ei cui respondendũ sit, ut illi non infundere in aures tuam orationem, sed in animo uideatur inscribere. Itaque qui memoria uigent, ij sciunt quid, & quatenus, & quo modo dicturi sint: quid respõderit, quid supersit; ijdem multa ex alijs caussis aliquando a se actis, multa ab alijs audita meminerũt. Atq; ex his intelligere licet; quantũ errent illi, qui memoriã nihil ad persuadendũ conferre putant: ut ex insequenti positione multo manifestius fiet. Coreas.

Tertia positio, memoria cũ omnib⁹ artib⁹ est utilis, tũ eloquẽtiæ, cui omnino est necessaria. Quid enim prodest optimas sentẽtias inuenisse, easque apte collocasse, selectisq; uerbis exornasse, si memoriç uitio tota oratio obscuretur, inuertatur, ac deformetur, nec cõgruẽti actione exprimatur? Omnis, mihi crede, labor perit ubi memoria rerũ oĩum custos desideratur: qua, cũ careret Cu-

Curio audientium cacchinnos commouebat. Qui est memoria præditus, boni ingenij specimem præbet, paratæ orationis suspicionem tollit, cum fiducia in publicum uenit, & quasi secunda aspirante aura, recto ac facili cursu ad portum peruenit. Qui memoria est destitutus, timet, hæret, frigide dicit, nullam in pronuntiando rationem seruat, atque cæterarum eloquentiæ partium munera peruertit. Hic est uenter ille animi, qui cibos excipit, exceptos concoquit, & concoctos in sucum sanguinemque conuertit: hic est ille fidus omnium artium custos: hic est ille uerus eloquentiæ thesaurus: hęc est sapientię & Musarum mater: hęc tabula in qua omnes rerum omnium imagines pinguntur: hęc gemma in qua sculptæ sunt literæ, quæ in cerã defiguntur: hæc clarissima lux quæ dicentem præit, nec in dicendo labi sinit: Hoc, inquam est eruditionis pœnu: hoc ingenij signum, & denique hoc insigne diuinitatis argumentum. Nesciretur, inquit Fabius, quanta uis esset eius, quanta diuinitas illa, nisi in hoc lumen orandi uim extulisset. Non enim rerum modo, sed etiam uerborum ordinem præstat: nec ea pauca contexit, sed durat prope in infinitum, & in longissimis actionibus prius audiendi patientia, quam memorię fides deficit. Quod & ipsum argumentũ est, subesse artem aliquã, iuuariq; ratione naturã. Et ut illud ad extremum addiderim, quis memorię uim non admiretur, cũ quẽpiã duas, tres, et quattuor horas ꝑpetuo dicentẽ, & nunquam hęrentem, nec in uerbo laben-

tem

tem audiuerit, cum tantam rerum muttitudinem &, ut ita dicam, tam uastum fluuium ex memoriæ fonte manantem uiderit? Magna itaque immo maxima, est memoriæ uis, per quam Craßus quinque Græci sermonis differentias sic tenuit, ut cum Asiæ præesset, qua quisque apud eum lingua postulasset, eadē sibi ius redditū foret: Theodectes multos semel auditos uersus protinus reddidit: Seneca duo millia nomina quo ordine dicta erant, recitauit: Cyrus in numerosissimo exercitu, omnium militum nomina tenuit. Mithridates duarum & uiginti gentium linguis iura dixit: & denique Cyneas Pirrhi legatus nouus in Vrbe homo, totam Romanam plebem nominatim postero die salutauit.

Cœl. Rodig. lib. 20. c. 10. Alex. ab Alex. li. 6. ca. 18. Muret. li. 3. Var. lect. ca. 1. Solin. in polyst. cap. 7. Valer. Max. li. 8. ca. 7.

Sed dicat hoc loco quispiam, qui fieri potest, ut facilius locum, imaginem, & rem signatam teneamus, quam illam unam rem, cuius meminisse uolumus? Huic petitioni his Antonij uerbis facile responderes, Vidit.n. hoc prudenter, siue Simonides, siue alius quis inuenit, ea maxime animis effingi nostris, quæ essent a sensu tradita atque impressa, accerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum uidendi, quare facillime animo teneri poße ea, quæ perciperentur auribus, aut cogitatione, si etiam oculorum cōmendatione animis traderētur, ut res cæcas & ab aspectus iudicio remotas conformatio quædā, & imago, & figura ita notaret, ut ea quæ cogitando complecti uix poßemus, intuendo quasi teneremus. Hęc Antonius: quibus adde ea quæ alio loco ad eandem

Li. 2. de arte dicendi.

dem dubitationem respondendo diximus.

Vltima positio, quamuis memoria artificiosa sit maxime utilis: tamen ne inutilis uel etiam perniciosa fiat, in ea perdiscenda, & in eius usu adhibendus est modus. Neque enim id consilij cuipiam darem, ut tantum studij in hac arte poneret, ut quędam rara miracula ederet, & magis ex ea gloriam, quam utilitatem quæreret: & ut naturali memoria neglecta, omnia per artificiosam sibi ediscenda putaret; ut infra planius dicetur.

Quod si quis de huius artis inuentore petat, his verbis respondebit Antonius: Gratias habeo Simonidi illi Chio, quem primum ferunt artem memoriæ protulisse. Dicunt enim cum cœnare Cranane in Thessalia apud Scopam fortunatum hominem & nobilē, cecinissetque illud carmem, quod in eum scripsisset: in quo multa, ornandi caussa, pœtarum more, in Castorē scripta & Pollucem fuissent: nimis illam sordide Simonidi dixisse, sed dimidium eius ei quod pactus esset pro illo carmine daturum: reliquum a suis Tyndaridis, quos ęque laudasset, peteret, si ei uideretur. Paullo post esse ferunt nunciatum Simonidi, ut prodiret: iuuenes stare ad ianuam duos quosdam, qui eū magnopere euocarent: surrexisse illum ipsum, prodisse, uidisse neminem; hoc interim spatio conclaue illud ubi epularetur Scopas, concidisse: ea ruina ipsum oppressum cum suis interisse: quos cum humare uellēt sui, nec possent obtritos internoscere ullo modo, Simonides dicitur ex eo, quod meminisset, quo eorum loco

Lib. 3. de ora.

quisque

quisque cubuisset, demonstrator uniusculusq; sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitus inuenisse fertur, ordinem esse maxime, qui memoriæ lumen afferret. Itaque iis, qui hanc partem ingenij exercerēt, locos esse capiendos, & ea, quę memoria tenere uellent, effingenda animo, atque in his locis collocancanda: sic fore, ut ordinem rerum, locorum ordo conseruaret, res autem ipsas rerum effigies notaret, atque ut locis procera, simulacris pro literis uteretur. Hæc Antonius.

De quibusdam admonitionibus ad facilius ediscendum. Disput. 3.



VM *itaque bene culta memoria tot fructus pariat; si de eius cultura paullo fusius egerimus, quam aliqui agendum putant, profecto non erit inutile. Et cum tria sint, quibus uis memorandi a natura tributa iuuari potest, medicamenta, obseruationes quędam ad exercitationem accommodatę, & artificiosa præcepta; hac disputatione de duobus primis capitibus aliquid dicemus, postea de tertio copiosius disputabimus.*

Quod igitur ad primū attinet, omnes fere, qui hāc tractauere materiā, memoriā aliquib. medicamētis, tū simplicibus, tum cōpositis iuuari posse fatentur. In simplicib. numeratur esus melisophylli, melissę, cerebri gallinę, limaturę ebori, nasturtij, unde ꝓuerbiū, Ede nasturtiū, et quarundā aliarū rerū: sed de medicamentis cum Medicū agere nolim, Medicos cōsule.

Ea est medicamentorum uis, ut impedimenta auferant, & uim a natura tributam aliquo pacto iuuent. Verum, in eis adhibendis magna est opus cautela: quia, dum datur opera ut frigiditas temperetur, timendum est, ne in siccitatem ueniatur, & contra. Huc referres uictus rationem: cum e cibis, alii qui obsint, alij prosint memoriæ. Obsunt omnes illi quorum post comestionem fumus ad caput ascendit, & illi qui spiritus crassiores producunt; ut esus aliorum, ceparum, casei, herbarum crudarum, & acidarum rerum. Item, plurimi uini præsertim potentis potio est pessima: contra, mediocris & temperata est utilis. Rursus consuetudines quædam obsunt; ut quies superflua, quæ calorem debilitat & superfluitates retinet: somnus cibo propinquus, et immoderatus: dormire pedibus calceatis, ob uaporum reflexionem: & frequens uenus. Quidam uero cibi prosunt, ut cibi stiptici, qui uaporum ascensum impediunt, ut coriandrum. Item cibi temperati; ut caro gallinarum, perdicum, & speciatim cerebella. Similiter gaudium temperatum, animi relaxatio honesta, atque superfluitatum emissio. Externutatio ante cibum, capitis confricatio cum pectine post somnum, capitis & pedum lotio cum lixiuio, in quo præsertim certæ herbæ bulliuerint: & si quæ sunt alia.

Atque hæc de primo capite: nunc de secundo, de quo, cum uarie & confuse scribatur, nos omnia ad quædam capita reuocabimus; quæ sunt, persona,

na, res, auxilia, siue quæ iuuant, siue modus, locus, tempus, & finis. Et quamuis nonnulla quæ ad personam pertinent supra attigerimus, tamen aliquid rursus breuiter dicemus.

In persona igitur quæ memoriam excolendo meliorem reddere studet, hæc desiderantur: bona corporis constitutio, animus bene affectus, & maxime his virtutibus ornatus, temperantia, continentia, sobrietate, studio, diligentia, hilaritate, tranquillitate, & denique summissione, siue humilitate; qua qui seipsum euacuat, dignus est, qui a Deo *omnium* D. Ber. *scientiarum, & uirtutum fonte, omni doctrina atque virtute repleatur: quæ bona is multo facilius obtinebit, qui quotidianis precibus ea a* Deo *postulabit.* Iac. 1. *Huc facit admonitio illa, ut quisque præstantissimum esse putet, maximiq; faciat id, cuius meminisse uult, et eum præceptorem habeat, quem admiretur, libenterque audiat: cum uoluptas & admiratio non parum memoriam iuuent: ac proinde animus a curis & ab alijs cognitationibus, quantum fieri potest, se uocandus est. Huc etiam facit, ut eam facultatem quam quis uult ediscere difficilem eße existimet, ita ut ingenium sibi acuendum & intendendum putet, quod sane multum ad memoriam valet. Sed de primo capite hactenus.*

De secundo, hoc est, de rebus quæ memoriam excolendo ediscendæ sunt, in hac amplissima animi arca diuinoque penu non quæcunque res ponendæ sunt; sed illæ quarum potest esse quotidianus usus,

& usura: ac proinde eorum quæ asseruanda sunt habẽdus est delectus, ne memoria rebus impuris inficiatur, aut inutilibus repleatur. Discantur itaque ea quę sunt ad honeste pieque uiuendum necessaria: quæ ad artem quam profiteri uolumus pertinent, uel ad finẽ quo tendimus ducunt: quæ præsens occasio requirit: bonarum artium principia: utiles in omni uita sententię: quidquid cum utilitate delectat, & admirationẽ affert: & denique multa, tum ex alienis, tum ex nostris, quibus memoriæ thesaurus honeste & utiliter augeri possit: quæ nunquam nos didicisse pœniteat in quo quantum a multis peccetur, quis est qui non uideat? qui nõ minus imprudenter errant, atque is, qui pro auro ferrum, pro gemis lapides, pro frumẽto lollium, & pro fulgentibus carbunculis nigros congereret carbones. Sed de his hucusque. De tertio capite, multa occurrunt pręsidia quæ ad facilius ediscendum conferunt, e quibus quędam efficaciora paucis perstringam.

Primum atque præcipuum est ordo, qui, ut scribitur, memoriæ maximum lumẽ affert. Quare, qui rem aliquam apte disponet, & eius partes suis in locis collocabit, aut iam collocatas animaduertet, is facile ediscet. Proderit ergo ad facile ediscendum rerum ac rationum tractandarum methodum tenere; qua totum in partes, in membra, in principia, in caussas, & in effectus distribuatur. Idcirco qui uellet facilius orationem aliquam ediscere, eius ordinem, maiores & minores partes obseruaret, & ita exordij, narrationis,

dispo-

dispositionis, argumentorum, locorumque in confirmatione positorum, & in summa rerum, & uerborum seriem diligenter notaret. Iuuant rerum adnotata capita, iuuant tabulæ: multa enim ad breuitatem & ordinem redacta, multo percipiuntur melius.

Deligens auscultatio, quę uires intendit; quam delectatio & admiratio sequi solent; quæ, ut ante dicebam, multum memoriam iuuant. Atque idem de diligenti lectione dicas. Vnde fiet, ut quod auditur, intelligatur: intelligentia autem est memorię maximum prę sidium. Sicuti etiam rerum quarum facilius meminisse uolumus aspectus.

Si longior oratio memoria comprehendenda sit, per partes ediscatur: quæ nec ordine dispositionis certo careant, nec sint nimis exiguę, et multę, nec orationis filum contextumque nimium distinguant, et concidant. Partibus quę diffi ilius memoriæ hęrent aliquę affigantur notę, que memoriā excitent; aut certe aliquod signum in scriptura notetur.

Vno eodemque codice scripturaue uti in eadem re ediscenda, nonni hil emolumenti affert; sicuti etiam eorum quę memorię mandare uolumus scriptio: si quidem stylus non secus in pectus, quam in chartam rem memorandam imprimit, attentione.

Quod attinet ad modum, utile putatur, si quis non inclinato capite, & pectore ediscat: si ipse potius tacite, et attente legat, quam si alium legentem audiat. Pręstabit ergo tacite ediscere, quā aliquo inte rcedēto

sono, & voce: cum in quiete mens sit attentior, & expeditior.

Verum, & si alieno opus est silentio, non proinde suo: nam interdum animum quasi otiosum aliæ subeunt cogitationes, in quibus occupatus, facile peregrinari incipit; qui exiguo murmure reuocandus, & quæ interpellare cęperat, excludenda est cogitatio. Sic enim altiore lectione, duobus sensibus, quasi fenestras, aperiremus; patefaciendo ad animum ingressum per intuitum & auditum.

Periculum quoque faciendum est, teneamus ne, & an satis firmiter conceperimus, quæ iam didicimus: Quoniam continuata lectio, & quæ magis, & quę minus hęrent, ęqualiter transit.

Quoties, quod firma memoria tenere uolumus, id frequenter ad memoriam est reuocandum, recor- Arist. 1. Met. *dationeque repetendum. Ex sensu enim nascitur memoria, ex memoria sępius repetita experientia, ex frequenti experientia ars, & scientia. Quare, cogitata, audita, & alio quouis modo percepta, sæpius disputando, & communicando, repetenda sunt: Cum, ut Seneca ait, Memoria nihil perdat, nisi quæ sępe non respicit.*

Quod attinet ad locum, in omni loco possumus aliquid discere, in scholis, domi, foris, sedendo, ambulando: sed vtilissimum est habere locum remotum, alienum a rumoribus, & a sermone etiam familiarium seiunctum; iuxta ea quę libro quarto de Caussis eloquentię, de exercitatione agendo, dixi.

Quan-

Quando, si hęc circunstantia petat, a quo tempore memorię cultura auspicanda sit, dicendum est a teneris annis exercendam esse memoriam: quia pueris omnia sunt noua, omnia admirabilia, & hęc sunt quę retinentur: a quibus tamen plena opera exigenda non sunt; sed id quod possunt: ne id forte oderint, quod nondum amare queunt: paruę itaq; sententię pueris discendæ a principio tradantur.

Si vero quęratur tempus in quo sit discendum, certę sint constitutæ horę, & illę maxime, quibus stomachus est cibo vacuus. Priuatim vero aurora Musis semper amica habita fuit: at uespertinum tempus repetitioni omnium est aptissimum. Tenenda igitur est Catonis exercitatio, qui, ut Cicero refert, Pythagoreorum more exercendę memorię caussa, quidquid toto die audiuerat, dixerat, legerat, commemorabat uesperi. Quamuis ergo pene in prouerbium abierit, Memoria matutina, quod sincerius fixiusque teneantur, quę proferente iam se aurora percipimus: tamen & nox ipsa, & illud quod alias caussa solet esse obliuionis tempus, memoriam mire adiuuat, & confirmat. Noctu enim nusquam auocatur mentis intentio, quę facit ut ea quę discimus, uelut oculis subiecta cernere uideamur: & ab illa siue cogitatione, siue lectione, nihil deinceps animo agitamus: sed quietem statim capimus: quę, dictu mirum est, quantum afferat firmitatis, quando sic labor ille, cuius In cato.

ipſa fatigatio obſtabat, uel requieſcit, uel maturatur, ac concoquitur. Quare, una interpoſita nocte, quę ſtatim referri non poterant, poſtero die pulcherrime contexantur. Vt enim cibus ſtatim ingeſtus magis grauat ſtomachum, quam vires augeat, tantiſper cum concoctus in venas & corpus digeritur: ita lectio, vix dum audita, parũ prodeſt, donec in animi uentriculo conficiatur. Igitur quę ſub ſomnum ediſcuntur, ea tibi mane promptius longe a memoria repræſentabuntur, quam quouis alio tempore, modo ne cumbitum abeas cum crapula, nimioque cibo grauatus, vel inedia penitus abſumptus.

Denique, quod ad finem attinet, ut facilius omnia diſcantur, vt qui in diſcendo ſumitur labor ſit multo iucundior, quidquid diſcitur, in Dei gloriam diſcatur. Atque hæ ſunt admonitiones quæ fere dari ſolent ijs, qui memoriam ſine artificio ſimplici exercitatione, excolere uolunt: conſequens eſt, ut de artificioſa dicamus.



De

De locorum artificiosæ memoriæ inuentione, & constitutione. Disput. 4.



RTIFICIOSAM *memoriam omnes qui de ea aliquid literis cõmendarunt, duabus rebus contineri, uno ore fatentur, locis & imaginibus. Sunt autem loca instar tabulæ, chartæ, ceræ, & membranæ in qua scribitur: imagines uero tanquam scriptura, aut literæ, seu formæ, & earum rerum quas memoriæ mandare contendimus similitudines. De duabus itaque rebus in quibus tota hæc ars uersatur, nobis agendum est: & primum de locis, postea de imaginibus: de quibus quæ dicenda occurrunt, quibusdam positionibus complectar.*

Prima positio, locus est receptaculum, re aut cogitatione designatum, in quo imagines repetendæ collocantur. Sunt itaque memorię artificiosæ loca, ueluti uasa, in quę infunditur, & e quibus effunditur aqua, ut alia iterum infundatur: uel, ut ante dicebamus, sunt ueluti tabulæ, aut chartę in quib. literæ scribuntur, & iam scriptę delentur.

Secunda positio, locus, ut ad nostrum institutum pertinet, hoc pacto diuidi potest. Locorũ alius cõmunis, ut est ille qui plura continet loca, ut platea, templum, domus: alius proprius, qui proxime unam rem tantum cõplectitur, aut completi potest, cuiusmodi est locus cui cõmittẽdũ est simulacrũ: Rursus, alius inuisibilis sua natura; ut beatarum mẽtium

habi-

habitaculum: alius a mente humana confictus; ut oppidum in aere: quo locorũ genere, an utendum sit, postea dicetur: alius realis, & corporeus, qui est duplex: alter qui nihil uere continere potest, ut cœli signa & partes: alter qui potest; ut locus in cubiculo, in ecclesia. Solent etiam aliqui diuidere locum in magnũ, ut est cubiculum, in maiorem, ut domus, & in maximum, ut Ciuitas: Sed hæc diuisio parum ad rem facit.

Tertia positio, locorum fictorum, et eorum qui sub aspectum non cadunt, aut difficile cadunt, nullus esse debet in hac arte usus. Primum, quia non facile finguntur, nec etiam facile occurrunt, mentem ue excitant, ut loca oculis subiecta, & nobis nota. Deinde, quia nulla est necessitas, ut, veris locis relictis, quę cuique sunt in promptu, ad ficta & a sensibus remota confugiamus. Ideo Fabius iure mirabatur Methrodorum, qui in duodecim signis per quę sol meat, trecenos, & sexagenos inuenerit locos. Vanitas, inquit ipse, nimirum fuit, atque iactatio circa memoriã suã, potius arte, quam natura gloriantis.

Quarta positio, qui artificiosa memoria uti uult, loca adhibeat naturalia, spectabilia, atque nota, & a se frequentata; vt est domus in qua habitamus, modo in ea commode loca fabricari possint, iuxta ea, que postea dicemus; palatia, templa, & id genus alia maiora uel minora, pro ratione eorum, quorum meminisse volumus.

Quincta positio, loca debent esse distincta, & ordinata.

dinata. *Distincta quidem, ut in illis res possimus collocare distinctas: ordinata uero, quia debent respondere rebus quæ oratione exprimendę sunt: quę ut suo ordinę sunt digestę, ita suo ordine locis committendæ erunt: adde etiam, quod nihil fere magis memoriam iuuat, atque ordo facit; quam mirum in modum pertubat confusio. Huiusmodi erunt, si eo in loco, quo uti voluerimus, ordinatim procedentes, loca insigniora notauerimus; vt sunt anguli, fenestrę columnæ, & id genus alia, quę ex se aliquam distinctionem habent. Quod si locus non sit ex se omnino distinctus, ut certe esse deberet, per alicuius rei appositionem, vt scamni, & sellę, vel alterius rei distinguendus erit: Ordo facit, ut a quocunque loco uoluerimus res locatas numerare possimus, ordine recto, aut reflexo.*

Sexta positio, loca debent esse capacia, hoc est, tantę magnitudinis, ut altitudine & latitudine sua id continere possint, quod in eis collocandum erit: Et cum signa rerum quarum meminisse volumus, debeant esse potius magna, quam parua; ideo cauendum erit, ne loca sint nimis angusta; nec contra nimium lata: In summa, sint rei locandę accommodata.

Septima positio, quod attinet ad numerũ, non datur certa regula, sed quisque pro suo usu plura, aut pauciora habebit. Et quamuis a principio pro tironibus pauca satis esse possint: tamen pro exercitatis, et pro ijs qui plurimarum rerum meminiße uolunt, utile erit, si multa ac multa parata & expedita habebuntur:

tur:

tur: sicut is, cui sunt scribenda multa multum chartę habere debet. Locorum paratorum multitudo, id etiã commoditatis habet, ut pluribus locis plures imagines accommodare, & uaria rerum genera in uarijs locis collocare possimus: ne, si locorum paucitate laborauerimus, imagines rerum recens pręteritarum delere cogamur, quod non est factu facile.

Octaua positio, quod attinet ad qualitatem, loca non sint similia, ut columnę, ac preinde similia aliqua distinctione distinguenda erunt: non sint obscura, non nimis lucida; quia obscuritas mentem obcęcat, & splendor dissipat: cęterum, magis nocet obscuritas, quam lux, quæ re uera parum aut nihil obesse uidetur: quamuis luminis mediocritas magis iuuet. Huc etiã facit quod aliqui dicũt, nõ debere esse nimis amœna, nec frequẽtia; vt sunt plateæ, & porticus: unde potius monasteria, edes priuatę, & templa, quam alia magis frequentata loca eligenda sunt.

Nona positio, de situ, siue distantia, loca aliquantulum distare debent, saltem quinque, aut sex pedes, sint itaque mediocri distantia disiuncta; ne nimia compressio memoriam conturbet, aut maior distantia dissipet: & quod huc facit, non notentur in loco alto, unde non sint altiora, quam hominis statura: ne, cum res creditę quas ab illis repetere uolumus, non sint ad manus; neque ita depensa, ut oculos, cum ea inspicimus, deijcere cogamur.

Decima positio, cum locorum distinctio & numerus debeat esse in promptu, illud etiam traditur pre-

præceptum, ut quinctus quisque locus notetur insigni aliqua nota, ut aurea, aut argentea cruce, manu ue. Quina itaque & dena loca sint perspecta, & aliquo signo notata; ita ut sciatur, vbi decimus, ubi decimusquinctus, ubi uigesimus sit locus, & sic de alijs: ceterum, aliqui hanc conditionem non necessariam putant.

Vndecima positio, in locis constituendis inchoandum est a manu dextra, & reuertendum ad sinistram. Quare cum ingressi fuerimus, communem locum, ubi propria notare uolumus, ut Ecclesiam, uel monasterium, a manu dextra recto ordine procedemus, donec ad eundem locum reuertamur. Sunt qui dicant, initium capiendum esse ab illustriore loco, & nihil referre a qua manu incipiamus. Sed quod diximus, cõmodius uidetur.

Denique, ut quæ de locis dicenda restant, breuiter perstringam, locus ille communis in quo priuata loca fabricare volumus, antequam loca notentur, prius diligenter inspiciendus est; ita ut sit omnino perspectus, atque notatus: & quæ in eo notauerimus loca, etiam vacua, sæpe repetenda sunt; ne dum illis opus fuerit, sint de nouo quærenda.

Debent itaque loca semper essa paratissima, non secus ac arma ad pugnandum, & charta ad scribuendum. Et vt quæ hucusque de locorum rationibus diximus, aliqua auctoritate confirmentur, quæ hac de re Fabius scripsit, in medium afferam.

Loca,

Loca, inquit, discultāt quam maxime spatiosa, multa uarietate signata; domum forte magnam, & in multos diductam recessus. In ea quid notabile est, animo diligenter affigitur: ut sine cunctatione ac mora partes eius omnes cogitatio possit percurrere. Et primus hic labor est, non hærere in occursu. Plus.n. quam firma debet esse memoria, quæ aliam memoriam adiuuet. Et infra, Opus est ergo locis quæ, uel finguntur, uel sumuntur: locis est utendum multis, illustribus, explicatis modicis interuallis. Sed de locis hactenus.

Quid & quotuplex sit imago, deque imaginum artificiosæ memoriꝫ conditionibus.
Disput. 5.



Riore artificiosæ memoriꝫ parte, quæ in locorum inuentione atqua structura consistit, exposita, sequitur ut de posteriore, hoc est de imaginum conformatione agamus: de qua re primum uniuerse, postea priuatim agemus. Quod igitur ad primam considerationem attinet ita statuimus.

Prima positio, id quo hæc ars ad res repræsentandas uti solet, his fere appellatur nominibus: species, idolura, simulachrum, similitudo, imago, atque figura; quibus uocibus, & si nonnihil discriminis in significando habeant, in hac tamen tractatione indifferenter utimur, & quidem sæpius nomine imaginis; ac proin-

proinde hoc uocabulum retinentes, quid, & quotuplex sit imago, ut ad nostrum institutum pertinet, nunc docebimus.

Secunda positio, imago uniuerse sumpta, est id quod per modum similitudinis ab alio procedit; quę si sit in eadem natura dicitur perfecta: ad cuius rationem constituendam tria sunt necessaria, similitudo, origo, æqualitas; si uero sit in aliena natura, dicitur imperfecta, ut statua facta ad similitudinem Cęsaris. Sed de hoc imaginum genere accuratius Philosophi, uel Theologi uideant. At uero imago, ut est ad rem aliquam in memoriam reuocandā instituta, sic describi potest, Imago est similitudo siue nota eius rei, cuius meminisse uolumus. D. Tho. 1.p.q.35 ar.1.

Vbi animaduertendum est, eas res quę pro imaginibus assumuntur, duobus modis considerari posse; uno modo, ut res quædam sunt; & sub hac consideratione non ueniunt in hunc locum; altero modo, ut repręsentant, & in alterius cognitionem, ut signa quædam, nos ducunt, quod facere non poßent, nisi cum re quam referunt, aliquam conuenientiam aut affectionē haberent: & hoc pacto in pręsentia considerantur. Et sub hac ratione rursus tripliciter: primo, ut sunt similitudines: secundo ut repręsentant, uel quantum ad modum, uel quantum ad rem repręsentatam: tertio, ut in suis ponuntur locis.

Tertia positio, imagines, ut sunt similitudines, tria requirunt. Primo, ut sint rerum mobilium; uel per se ut animalium, uel per accidens, ut si liber, uel aliquid

alíud

aliud in manu hominis poneretur, ab eoque mouere-tur. Deinde, ut exerceant aliquem gestum, qui exci-tet, vel affectum, vt dolorem, & letitiam; uel imagi-nationem ipsam simpliciter per suum motum. Tertio, ut sit res, vel persona indiuidua, et per usum valde no ta, quantum ad actum, quem repræsentare debet.

Quarta positio, imagines ut actu referunt, ratione modi, triplici ratione id efficiunt. Prima, cum assu-muntur uoces ab aliquo sæpe usurpatæ, ut aliquid desi gnẽt: secunda, cum ponuntur gestus ad aliquam rem designandam; ut capitis inclinatio ad designandum as sensũ, & actus spoliandi, verbum, spolio: Tertio, cũ uoces similes capiuntur; ut si canis assumatur ad si-gnificandum cantum. Si uero considerentur ratione rei significatæ, uariantur pro diuersitate rerum ad quas repræsentandas aßumuntur; vt literarum, syl-labarum, dictionum, orationis, cassuum, numerorum rerum, & argumentorum.

Quincta positio, quod attinet ad locum in quo po-nendæ sunt, illud obseruandum est, ut suis applicen-tur, & affigantur locis; iuxta eorum ordinem: & qui dem diuersæ imagines in diuersis sunt ponendę locis, ni necessitas, ut secus fiat, postulet. Hac enim ratio-ne multo melius suo fungentur officio.

Sexta positio, imagines quibus ars memorandi uti tur, uariæ diuidi possunt: nos eas diuisiones attinge-mus, quæ magis ad rem faciunt. Prima diuisio, ima-ginum, aliæ uocum, alię rerum: uel hoc pacto, alię li-terarum, alię syllabarum, aliæ dictionum, aliæ senten tiarum,

tiarum, siue orationum, & argumentorum, aliȩ factorum & rerum: uel compositarum, uel simpliciū, quas iuxta decem categorias subdiuideres, ut alia sit substantiæ, alia quantitatis, alia qualitatis, alia relationis, alia actionis, alia perpesionis, alia loci, alia temporis, alia situs, alia denique habitus: Rursus, aliȩ rerum materia carentium, aliæ renum corporatarum. Atque hȩ diuisiones sumptæ esse uidentur ex parte materiæ, siue obiecti.

Deinde, diuidi possunt, ut reprȩsentant, & suo funguntur officio; & sic, aliæ clare, & efficaciter repræsentant, claramque notitiam ingerunt; & hȩ bonæ dici possunt: aliȩ obscure, imperfecte, & exiliter, quas malas, aut minus bonas uocares: quȩ enim omnino inepte referunt, reijciendȩ sunt.

Prȩterea, aliȩ sunt propriȩ, ut cum ad reprȩsentandum re aliqua proprie accepta utimur; ut si ad designandum lupum; sumamus lupum: aliȩ metaphoricȩ; vt cum res similes ad similia significanda ponimus; ut si ad designandum Angelum, alatum iuuenem, & ad significandum amorem, ignem poneremus.

Postea, diuidi possunt in imagines communes & proprias: communes sunt, quȩ pluribus rebus possunt accommodari: propriȩ, quȩ unam tantum rem referunt. Rursus, imago, aut est simplex, cum unum simplex fingitur simulachrum; aut composita, vt cum plures congiunguntur figurȩ & notȩ.

Denique, aliæ sunt reales, vt sunt illæ quæ non in

uoce, ſed in re tantum conuenientiam cum re ſignificata habent; ut ſi pro diuo Paulo, uirum Sanctum, ponas: aliæ uocales, ut cum figuræ nomen ſimilem habet uocem cum re, quā repræſentat; ut ſi palum, pro Paulo, aut petram, pro Petro ponas: alię miſtę; ut cum in re et in uoce aliqua eſt conuenientia; ut ſi pro Paulo, aliquem, & nomine, & forma ſimilem conſtitueres. Et hæc de diuiſione.

Septima poſitio, imaginum natura ac uis in eo ſita eſt, ut ſint maxime ſimiles, viuæ, aut ſaltem aliquis motus eis tribuatur, aut aliquid circa eas fiat. Illæ enim aptiſſime & efficaciſſime memoriam excitant, quæ aliquem habent motum gectum ue, per quē quodam modo ſeſe in animos ingerunt: non autem illę, quæ uita carent, & ocioſę ſunt. Et, cum in omni imagine, tum in metaphoijcis neceſſaria eſt ſimilitudo, atque analogia quædam.

Octaua poſitio, imago non debet eſſe exigua, ſed loco proportionata: quam autem magnitudinem locus habere debeat, ſupra docuimus. Adde etiam, quod res paruæ, ni multiplicentur, imaginationem excitare non poßunt; ut ſi imaginemur formicarum cumulum. Contra uero, nec eße debet nimis magna; cum imaginatio res maiores comprehendere nequeat: quare imagines arte & cogitatione magnæ, uel paruæ faciendę ſunt.

Nona poſitio, quod attinet ad numerum, non ſint uel plures, uel pauciores, quam res ipſa demonſtranda

da postulat: unde bellum referri potest etiam per duos pugnantes: quare, ni necessitas cogat, uno in loco multę ponendæ non sunt, si res diuersæ designandæ sint, presertim quando imagines, essent similes. Multitudo imaginum per unam uitari posset, si eam faceremus uarie agentem, aut si ei aliqua insignia tribueremus. Quod si plures coniungendæ essent, id aliquo ordine fiat, & ita disponantur, uel ad latus, uel ad pedes, ut nulla nascatur confusio: sed cum plura habemus loca, ab ista multiplicatione abstinendum est.

Decima positio, quod attinet ad qualitatem, hę potissimum qualitates in bonis imaginibus requiruntur: ut sint egregię, insignes, nouæ, incredibiles, ridiculę, admirabiles, monstruosæ, inusitatę, efficientes aliquid, quod sensum affectumque moueat, et denique aliquo motu, perturbatione ue affectę, aliqua inquã forma, & actu insolito, turpi, crudeli, & horrido: addunt alij, vt sint propriæ & uniuocę: quare, si imago sit ęquiuoca, hoc est, si plura significare possit, ad rem priuatam contrahatur. In ea igiturre nos exerceri conuenit, ut similitudines multum nobis cognitas; & aliquid agentes cum insigni quadam nota, tã pulchritudinis, quam turpitudinis, aut certe ridiculi cuiusdam sumamus: de quarum apta constitutione statim dicemus.

Imagines, ait Herennianus auctor, nos in eo genere constituere oportebit, quod genus manere in memoria diutissime potest. Id accidit, si quam maxime no-

tas similitudines constituemus: si non mutas, nec vagas, sed aliquid notum agentes imagines ponemus si egregiā pulchritudinem, aut unicā turpitudine eis attribuemus: si aliqua re exornabimus, vt si coronis, aut ueste purpurea, quo nobis notior sit similitudo: aut si qua re deformabimus, ut si cruentam, aut cœno oblitam, aut rubrica delibatam inducamus, quo magis insignita sit forma: aut si ridiculas res aliquas imaginibus attribuamus. nam ea res quoque faciet, ut facilius meminiße poßimus. Nam quas res veras facile meminimus, easdem fictas, & diligenter notatas meminisse non est difficile.

Et Fabius, utendum esse ait imaginibus aliquid agentibus, acribus, insignitis, quæ occurrere, celeriterque percutere animum possint. Sed de imaginibus uniuerse satis.

De ratione formandarum imaginum. Disp. 6.



XPLICATA imaginum natura, atque uarietate, sequitur ut de earum fingendarum ratione dicamus. Ea autem quæ dicenda sunt, ad pręcepta quædam reuocabo, quæ nonnullis positionibus perstringam.

Prima positio, imagines ad repręsentandum sumi poßunt ex rebus, & uocibus: & ita res poßunt repręsentare voces, & voces res, licet res non sint inter se similes, modo sit aliqua similitudo in voce. Vnde cano, potest referre canem, et canis præsertim

la-

latrans, cantum, seu canere: gallina Gallos, & Galli gallinam.

Secunda positio, imagines sumi possunt ab interpretatione, & origine nominum; ut si ponatur Philoponus, pro amatore laboris, & Philippus, pro eo qui equos amat: Lapis, pro lædente pedem, Andreas, pro fortitudine & forti, Christophorus, pro eo qui Christum gerit, Hieronymus pro sacra lege, lex pro legamine, uel lectione, & electione.

Tertia positio, nomina, primitiua referunt deriuata; ut silua siluestrem; mons montanum, Pontifex, pontificium, ponteficale: & positiua, comparata, & superlata; ut sapiens, sapientior, sapientissimus: in summa, omnia denominata, ea a quibus denominantur, & contra, ut a prudentia, prudens, prudenter.

Quarta positio, res siue uox similis similem refert; vt imago Cesaris, uel aliquis qui esset ei similis, aut eodem uteretur nomine, ipsum Cæsarem: homo hominem, terra terram, ignis ignem, bos bouem, & sol solem. Huc referres metaphoricam similitudinem, quę late patet, et sic per ignem, amorem: per florente arborem, felicem & floridum alicuius statum; per fluentem aquam, copiosam, ac fluentem orationem: per reuirescentem arborem, reuirescentia studia: & denique, per candidam niuem, animi candorem.

Quincta positio, relata inter se apte referre poßunt: eam ob caußam, quod inter se necessarium

habent ordinem, & unum non potest esse sine alio. Vnde filius referret parentes, creatura creatorem, uxor maritum, discipulus præceptorem, docere discere, emptio uenditionem, & denique pars totum, & contra.

Sexta positio, quandoque ex opposito designari potest oppositum, atque contrarium. Vt, si pro sobrio, hominem uinosum ponamus: pro pio, impium: pro ueloci tardum, aut rem tardam; ut pro uelocitate, testudinem.

Septima positio, caußa apta est ad repræsentandum effectum, & effectus caußam, & id quod continet, rem quam continet, & contra. Quare ignis referet calefactionem, & hęc ignem: sol diem, & dies solem: iugulatio homicidam, & hic necem: similiter, dolium uinum, & hoc dolium: aqua pisces, & hi aquam: cathedra Concionatorem, & concionator cathedram: nauis nauigantes, & hi nauim.

Octaua, commoda imago sumitur ab inuentore, ad referendam rem inuentam, & contra: Vnde, pro frumento Ceres poni posset; pro tibia pan: pro uite & uino Bacchus, & pro nauigandi arte, seu pro uelo Dedalus. Similiter si Deus aliquis fictus poneretur pro re, quæ sub eius tutela esse dicitur, ut si Minerua pro literis, Mercurius pro eloquentia, Mars pro bello, Diana pro uenatione, Neptunus pro tempestate, & Aeolus pro uento.

Nona positio, omnia instrumenta idonea sunt

ad

ad designandos ipsos artifices, ac etiam insignia, ea & eos quorum sunt insignia. Quare, hasta mili- tem, malleus fabrum, calamus scriptorem, rastrum agricolam, mola molitorem, Luna Turcorum, & li- lia Francorum Regem: mitra Episcopum, galerus rubeus, Cardinalem, & crux equitem. Similiter opera suos artifices; ut tela textorem, uas figulum, & clauis fabrum ferrarium. In summa, unumquod que opus suum artificem indicat, ut arare agrico- lam, ligare uulnera, chirurgum, & sic de aliis.

Decima positio, quando uolumus designare ali- quam personam, eius ętatem, habitumque corpo- ris exprimere debemus. Quare senex incuruus, ca- nus, tremulusque fingendus est: Iuuenis erectus, agilis, prodigus, & ornatus: Diues pinguis, num- mosus, splendide uestitus, & auro onustus. Pauper, pannosus, nudus, pallidus, & ulcerosus: Atque idem de aliis ętatibus, uariisq; fortunę gradibus dicas. Plurimum tamen memoriam iuuabit, si ad id expri- mendum quod uolumus, personam nobis notam, fa- miliarem, & quę rem eam solita sit efficere, aut dicere, cuius meminisse uolumus, sumemus: cum res notæ, & carę facile occurrant.

Vndecima positio, personarum affectiones, ani- mique sensus ac perturbationes, ut amor, ira, ti- mor, cupiditas, spes, & alię, optime designari pos- sunt per animalia, aut per alias personas in quibus huiusmodi affectiones dominantur. Vnde, lupus uo- racem, sus immundum, ursus iracundum, agnus mi-

tem, turtur castum, lepus timidum, miluius rapacem, asinus obtusum hominem apte refert: Similiter, adolescens, prodigum, senex auarum, scortum impudicum, virgo castum, uir constantem, & mulier effœminatum ac mollem. Possent aliquæ animi affectiones designari per colores, si quis eorum significationes notas haberet: ut spes per uiridem, timor, siue tristia per nigrum, ira, siue crudelitas per rubeum, & sic de cæteris.

Duodecima positio, uarij corporis motus & operationes, uarias res referre possunt; ut sessio, status, cursus, capitis inclinatio, manuum extensio, & contractio: expoliare se, induere, percutere, & saltare. Qui itaque personas varie agentes effinget, uarias res designare poterit; ut uarios actus, & id quod per illos efficitur; ut per actum dormiendi, otium, et tranquillitatem: per pectoris percussionem dolorem, pęnitentiam, & sic de alijs.

Decimatertia positio, corporis humani partes et habitus formaue res uarias designare possunt; ut supercilia superbiam, capilli luxum & diuitias, unguens crudelitatem, dentes discordiam, tergum fugam, ceruix seruitutem, genua misericordiam, pectus amorem, venter gastrimargiam, pudenda rem veneream, & pedes uelocitatem.

Decimaquarta positio, per subiecta optime designantur eorum accidentia, & proprietates, & cōtra per accidentia subiecta. Quare per melle dulcedinē, per cygnum candorem, per ignem caliditatem, per so-

lem

lem splendorem, per nigredinem coruum, & per albedinem, lac designares.

Decimaquincta positio, ad bonas imagines fingendas utile est habere in promptu figuras, siue formas quibus pictores, ea præsertim quę sub sensum non cadunt, exprimere solent; ut Angelorum, dęmonum, virtutum, vitiorum, scientiarum, artiumque imagines. In summa, is bonas formabit imagines, qui imaginationis ui maiore præditus fuerit, & rerum naturalium, atque artium non erit ignarus.

De priuata imaginum formandarum, collocandarumque ratione. Disput. 7.



VAMQVAM *ex ijs quæ ante diximus, aliquis nõ omnino ineptus facile imagines excogitare, & ad res ipsas applicare poßet: tamen, vt artem non omnino facilem, adhuc faciliorem reddamus, de imaginum formatione, et applicatione ad res ipsas, aliquid priuatim nobis scribendum duximus. Antequã autẽ præcepta trado, nonnullas pręmitto distinctiones.*

Prima, collocatio duobus modus fieri potest: primo per ipsam scripturam, ponendo vocem, siue rem scriptam in designato loco, eo modo quo scribitur in charta: secundo, per aliquod signum, & hierogriphycam figuram, Aegyptiorum more; ut si pro feroci, ponatur leo, & pro prouidentia, oculus in summitate baculi.

Secun-

Secunda, collocatio dupliciter fit; prima, cum tota res aliqua gesta siue factum, nulla habita verborum, sed solius rei ratione, exprimitur; vt si bellum, si cędem, per homines inter se altercantes designares. Facta itaque per actiones, siue per agentes ac patientes personas designari possunt. Secundo modo per sententiam; cum non res ipsa, sed oratio collocatur: & hoc bifariam, primo per periodum, cum tota simul sententia collocatur: secundo per singula verba. Hinc enata est illa imaginum distinctio, quod alia sit uerbi, alia facti, siue negocij: Verbi, siue vocabuli imago, est similitudo vocis in toto, uel in parte illius rei cuius meminisse volumus. Rei uero imago est, qua ipsum factum, resue ipsa, nulla habita verborum ratione, repræsentatur.

Tertia distinctio, dictionum aliæ significant rem, aliæ actionem: Res autem, aut habet figuram; vt sunt illæ quæ sub aspectum cadunt; quarum aliæ formari possunt, ut homines; aliæ non possunt, aut saltem non facile; ut tenebræ, nox, dies, lux, lumen, stellarum multitudo, & harum similes: aut non habet, ut sunt illa, quæ sub nullum sensum cadunt; ut anima, & Angeli. Rursus earum quæ formari possunt, aut sunt a natura, aut ab arte, quæ aliquid ex materia conficit; aut a uoluntate, ut imago Dei, Angeli, dæmonis; quæ personæ pro uoluntate varias sumunt formas: aut ab ingenio, ut Deorum imagines cum suis insignibus. Rursus earum

quæ

quæ figuram non habent, uel ſunt eiuſmodi, ut non cadant ſub oculos, ſed tamen alio ſenſu percipi poſſunt; uel omnem ſenſum fugiunt. Rurſus, quæ ſunt a natura, aut ſunt perſonę, hoc eſt homines, aut non.

Quarta diſtinctio imagines, aut ſignificant actionem quæ in rem, uel perſonam tranſit, ut occidere, uerberare, uel eam, quæ non tranſit, ut amare, odiſſe. Poteſt autem actio ſignificari dupliciter; uno modo proxime; ut ſi tangere manum, ipſam deſignet tactionem: altero, conſequenter; ut ſi idem manuum tactus, confederationem, aut pacem indicet.

Denique, dictio quę actionem ſignificat, aut deſignat ipſum agere, aut participale, aut uerbale nomen; ut, amare, amans, amor. His ita poſitis diſtinctionibus, has ſtatuo poſitiones.

Prima poſitio, ſi quis uellet collocare per ſcripturam, is magnis utatur literis, quæ uim aliquam maiorem habent ad memoriam mouendam. Quare, ſi quis uellet collocare initium Geneſis, in ſingulis locis ſingulas maiores poneret dictiones, maiuſculis literis expreſſas. Verum, cum hic modus paruam habeat uim ad mouendum, & nihil fere differat a nuda ſcriptura, in artificioſa memoria nullum fere habet uſum.

Secunda poſitio, integrum factum, per perſonas agentes, una integra deſignatur figura, ni multas habeat partes quæ plures figuras requirant: cui

figuræ

figuræ uarij tribuuntur motus, habitusque, qui multa referāt; ut si uelles collocare factum hominis, qui ex loco oculto aliquem deambulantem plumbeo globo traiecisset, Fingeres hominem cum manuali tormento, in aliquo angulo, & alium ante eum spatia facientem. Quæ collocandi ratio inseruiret ijs, qui historiarum meminisse uellent; & ijs qui dicendo nollent a uerbis pendere. Et aliquando, vel vnico nodo, aut annulo in aliquo digito posito, rei faciendę recordamur. Vnde ei quem meminisse uolumus dicere solemus, effice nodum in auricula.

Tertia positio, factum integrum per sententiam, siue per uerborum ambitum, si sententia contineat personas agentes & actiones, exprimitur per personas cum suis actionibus; ut si uelles exprimere hanc sententiam, Cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, fingeres aliquem edentem cibos, quibus in ieiunio utimur, & una manu oleum supra caput infundentem, altera faciem lauantem. Si uero sententia non continet personas agentes; ponatur figura, quæ præcipua uerba referat; ut si collocanda esset hæc sententia, Arma, uirumque cano, Troiæ qui primus ab oris, Fingendus esset canis armatus virga, cum porca, grauida, quam troiam uocamus, pomum ore tenentem: aut primum, uel unum & alterum uerbum imagine exprimeretur, ex qua in aliorum memoriam deueniremus.

Quarta positio, si collocanda sit una tantum

dictio,

dictio, quæ actionem designet, si actio sit transiens, & agens, & patiens, & modus repræsentari potest: vnde homo personatus cum balista, sagitta in quempiam emissa, tria iam dicta referret: si actio non transeat, sed tamen appareat, ut risus, & tristitia, per actum ipsum exprimetur; ut si quem ridentem, uel capite demisso fingeremus. Si uero actio sit occulta & interna, designari potest obiectis cum quibus solet esse coniuncta; ut contemplatio, speculo, aut sphera ob oculos posita; aut personis quæ huiusmodi actiones exercent, aut actibus, qui tales actiones consequuntur, ut oratio per genuflexionem.

Quincta positio, uerba siue dictiones quæ non significant actionem, sed rem cum actione coniunctam, actione ipsa designantur; ut manuum complexu pax, osculo beneuolentia, somno negligentia, & sic de similibus.

Sexta positio, res quæ figuram ex se habent, seipsis designantur; ut panis, poma, arbores, animalia: similiter, quæ arte formantur, ut calcei, & quæ uoluntate, ut personæ diuinæ, Angeli, & dæmones illis formis, quas pro uoluntate suscipiunt: & quæ humano ingenio fingũtur, iisdem imaginibus, quib. exprimi solent; ut sunt uirtutes, scientię, nymphæ, & manes dij. Illa autem quæ figuram sua natura habent, si magnitudine excedant, aut paruitate deficiant, arte minuenda, aut augenda sunt. Vnde, si cœlum, si mons, si alta arbor, si ciuitas collocãda esset, uel

vel cogitatione, vel pictura minui deberet, nulla quantitatis habita ratione; vt si cęlum per sphęram designaretur: res vero parua augenda, aut multiplicanda eßet.

Septima positio, personę his modis collocari possunt: Primo, si illę ponantur, quarum recordari uolumus, modo notæ sint: secundo, si nobis non sint notæ, earum imagines sumantur, si quando eas uidimus: postremo, si alię personę, earum aliquo pacto similes, aut certe res, quæ eodem, aut simili appellarentur nomine; ut petra, pro Petro; asinus, pro Asinio; vrbs, pro Vrbano ponatur.

Octaua positio, res quæ sub sensum aliquem cadunt, excepto oculo, ut sunt sapores, odores, sonus, calor, & alię, designantur caussa efficienti unde nascuntur; ut calor, igne: subiecto in quo sunt; ut dulcedo, melle: & gestibus, uel actibus, & instrumentis, quibus tales qualitates percipiuntur, ut sonus auricula, uel capitis gestu, sapor lingua, vel gustandi actu.

Nona positio, quæ nullo sensu percipiuntur, sequentibus modis significantur. Primo simili significatione; quo modo hierogriphyce, hoc est sacrę scripturę & figurę, quę a rerum proprietatibus sumuntur, referunt; Vnde Leo fortitudinem, serpens prudentiam referret, & sic de alijs. Vt si uelles exprimere hanc sententiam, Fidelis seruus, & prudens; finge seruum tenentem canem filo, & eum in serpentem irritantem; canis fidelitatem, serpens pru-

den-

dentiam designat. Secundo, uoce in toto, uel in parte simili: In toto, ut si pro palam, poneres, palum: In parte, quod uarijs modis potest cõtingere.

Primo adiunctione literæ, uel syllabę, in principio, medio, uel fine; ut, pro amo, hamus: pro alio, allium; pro uel, uelum.

Secundo detractione ijsdem modis; ut pro maligno, lignum: pro tingit, contingit: pro menta, elementa: pro principio, princeps.

Tertio conuersione; ut, pro amore, Roma; pro dare, rheda; & pro alto, lato: sed hic modus non est magni usus.

Quarto commutatione, cum litera pro litera ponitur; ut pro certę, certa: pro clausus, claudus.

Quincto, agnominatione, siue alliteratione; ut passum, possum: arator orator: panno, penna: cara, cura: quę alliterationes quinque uocalium mutatione fiunt.

Sexto compositione; ut, pro qui es, quies: pro uir ago, uirago, pro quis quam, quisquam.

Postremo diuisione, ut pro Apollodoro, Apollo inauratus: pro Sardanapalo, sardella in palo: pro Sansouinus, assensium in uino: pro capesso, capio piscem.

Decima positio, quoniam interdum literarum compositione aliquid exprimendum est, ideo singularum literarum imagines siue figuræ tenendę sunt, quę his fere modis fingi solent.

Primo, si conficiatur alphabetum ex nominibus

homi-

hominum nobis notorum, ac etiam fœminarum; ut Antonius, Bernardus, Cæsar, Domitus: Agnes, Beatrix, Catherina.

Secundo, si sumantur nomina artificum, aut personarum in dignitate constitutarum; ut Abbas, Baro, Comes, Doctor: Agricola, Barbitonsor, Cocus.

Tertio, si sumantur animalium nomina; ut Aquila, bos, canis, draco, &c. Et ne hę res, nobis seipsas ostendant, aliquo signo distingui possunt, quò solam primam literam eas referre intelligamus, quod quidem signum poterit esse commune.

Postremo, fieri solet quibusdam instrumentis, quæ literarum similitudinem referunt; ut si A, Circino erecto designetur, B, Lyra erecta, C, falce, & sic de

Ioa. Ro. Rosel. alijs, ut uidere licet apud quosdam huius artis scriptores.

Quo loco adnimaduertendum est, ex allatis alphabetis posse sumi uarias literas, a personis, a signis, ac etiam literas maiusculas ex crassiore charta, aut ex ligno factas. Vnde si uellem exprimere Mens, fingerem, Marcum insidentem Elephanto, gestantem, bilancem, & buccinam obtortam: Marcus M, Elephantus E, bilanx, N, & buccina S, designaret. Possunt etiam fingi nomina, quorum singulæ literæ singulas dictiones referant; ut, Fagus, desinit in Limus, idest hęc nomina facilis, agilis, gracilis, humilis, similis, in voce superlata, istam habent desinentiam: Reubau, designat uoces, quas trascendentes Logici uocant, Res ens, unum, bonum, aliquid, uerum:

hospita

hospita tetin res consitas, designant hæc verba terminationes omnes nominum quinctæ declinationis apud Græcos.

Atque ex dictis colligere licet, quomodo formande sint syllabæ, nimirum per literarum coniunctionem, & per uoces quæ illas continent; ut Ab, per Abbatem, Ac, per Accolitum, Be, per Bembum, & sic de alijs: & ex uarijs syllabis una poterit formari, & designari dictio. Finguntur etiã dictiones quę referant singulas syllabas earum uocum, quarum recordari uolumus; ut si pro hac sententia, Carissimo patri donaui cibum alium, hanc uocem Capadocia, ponerem. At hæc & superior regula uim habẽt in rebus iam cognitis. Diximus de simili, sequitur ut de dissimili dicamus; ꝙ est alterũ caput, quo res quæ omnino figura carent, referri possunt: sub quo continentur, oppositio, uoluntarium, signum, & connexum, siue adiunctum.

Vndecima positio, res q̃ figura caret designari põt ꝑ suũ oppositũ; ut per contraria, ꝑ relata; et ita ponitur pater pro filio, maritus pro uxore, sacramentũ ꝓ gratia, et sic de alijs. Atqui adhibendũ est aliquod signũ, ne ꝓ seipsis usurpari uideãtur, sed ꝓ suo oposito.

Duodecima positio, uoces quę significatione carẽt, quas syncategorematicas et mistas Logici uocãt, ut præpositiones, aduerbia, coniunctiones, & quantitatis signa, omnis, nullus, & quidam, a quibusdam scriptorib. rebus uolũtarijs designari solent, licet nulla adsit similitudo; ut uarijs generib. fructuũ, uariæ

particulæ: sed alij melius per personarum nomina designari uolunt. Quare, multa nomina colligenda essent, quæ nobis præpositiones, aduerbia, & alias uoces, quæ frequenter occurrunt referrent; & illa diligenter eßent memoriæ mandanda; ut, si Et, per Antonium, In, per Vincentium designaretur, & sic de alijs. Eadem fingendi ratio usui esse posset in aliqua priuata facultate, si quis ad hunc modũ multa uocabula, quę in illa arte sunt frequentia locare uellet.

Hac arte utuntur qui sub aliquo oratore, aut concionatore singula uerba scribere solent: Qui multarum uocũ simplices characteres pro arbitrio fictos, cognitos habent, quos pro integris dictionibus usurpant. Debent tamen characteres esse distincti, et breues: Qui sumi possent ex alphabeto latino, gręco, hebraico, & ex geometricis figuris.

Decimatertia positio, res aliqua optime designari potest per connexum, siue adiunctum; qua appellatione intelligũtur ea omnia, quę licet sint dissimilia; tamen aliquam habent cum re designanda affinitatẽ; ut sunt gestus, etymologia, signũ, insigne, instrumentum, & consueta loquela. Gestus quo uti solet concionator, referet concionatorem, & concionem: sed ut inter hęc duo nomina discrimẽ aliquod ponatur, concio designetur oculis eleuatis in cœlum, concionator oculis depressis in terram: sic orator, et oratio.

Quod attinet ad reliquos modos, superiore disputatione, eorum attulimus exempla: lęsio pedis lapidẽ, calamus scriptorem, Luna Turcorum Regem, et qui sępe iurat, iuramentum designabit.

De quarundam priuatarum rerum formatione collocatione. Disput. 8.

NE longius quam nostrum postulat institutum, hanc de memoria tractationem protrahamus, hac una disputatione multarum rerum collocādarum rationem paucis complectemur. Dicam igitur, de collocatione casuum, generum, punctorum, argumentorum, numerorum, citationum, temporumque; de quibus omnibus sequentes statuo positiones.

Prima positio, nominum casus sex partibus humani corporis designari possunt: nominandi casus capite, gignendi manu dextra, dandi sinistra, accusandi, pectore, uocandi pede dextro, auferendi sinistro. Si itaque dictio est nominandi casus, ponatur imago in capite: si auferendi in sinistro pede, & sic de alijs.

Secunda positio, numerus unius ostenditur persona, siue parte denudata; multitudinis uero, parte, siue corpore uestito. Quare, si quis uellet dicere montem, poneret montem in capite nudo: si uero montibus, in pede sinistro calceato.

Tertia positio, nominum genera hoc pacto designari possunt: Genus masculinum per sexum uirilem, fœmininum per fœmineam, cum genitalibus nudatis: neutrum uero cum genitalibus tectis.

Quarta positio, puncta, & distinctiones orationis gestibus quibusdam designari possunt: Punctum hoc pacto, si ultima persona pedem dextrũ in rẽ aliquam uerteret, eique incumberet: duo puncta, si pedibus iunctis staret: minor distinctio, si pede sinistro eleuato, atque contracto. Hac itaque uel alia simili ratione distinctiones notare licet.

Quincta positio, argumenta, uel per sententias, uel per singula uerba notari possunt: & interdum satis esset medium terminum collocare: quod si omnes partes collocare uolumus, maior propositio in manu dextra, minor in sinistra, conclusio in capite ponatur: probationes ad latera personæ affigi possunt. Quod si syllogismus subsumendus eßet, minor in pectore, conclusio in uentre ponatur. Quod si argumẽtum esset enthymema, antecedens inmanu dextra, consequens in sinistra collocetur: antecedentis probationes ad latera statuantur: consequentis uero in capite, pectore, & uentre: sed si quis omnia ordinate collocare uellet, pluribus utatur locis.

Sexta positio, numeri uaria ratione fingi & collocari solent. Aliqui assumunt personas: alij res materiales inanimas, ut uarias fructuũ species, quib. numerus tribuunt: alij res materiales, q̃ numerorũ figurã aliquo pacto referant: quorũ magis uidetur expedita & ad artẽ accõmodata ratio. Ponunt itaq; pro primo numero, pugionẽ: pro secundo fabrorum forsices apertas: pro tertio triangulum: pro quarto quadrangulũ: pro quincto serpentẽ inflexũ: pro sex-

to cochleã, cum capite extra testã: pro septimo, ędificatoris normã: pro octauo cucurbitam cum duplici corpore: pro nono asciam: pro decimo transuersam crucem. Sed, ne qua oriatur confusio, cum hæ res pro numero, aut pro se poni possint, aliquo pacto distinguãtur. Iisdem figuris designantur simplices numeri, si ponantur in manu sinistra; si in humano sinistro denaria: si in dextro, cẽtenaria, si in manu dextra, millenaria. Quare, si figurę multiplicentur, cõpositi numeri multiplicari poterunt. Quod si millenaria per denaria, & cẽtena multiplicare oporteret, pro denarijs figurę ponantur ad zonam, pro centenis ad dextrum genu. Vnde si uelles exprimere centum, et nouem in humero sinistro pugionem cum ascia pones; & sic de alijs; sed adhibenda est cura in collocandis figuris, ut distinctę appareant, & si fieri potest, aliquem motum habeant. Sunt & alij numerorum fingẽdorum modi, quos nos scientes omittimus.

Septima positio, citationes librorum hac ratione fieri possunt. Fingatur libri imago, q̃ sumi poterit a materia, uel a titulo libri; et pro persona, ponere licebit auctorẽ libri, qui librũ manu teneat, cui sit inscripta libri figura; ut si quis citare uellet Pauli epistolã ad Corinthios, poneret Paulum cum libro in quo esset inscriptum cor. Quod si idem auctor multos fecisset libros, distinctis imaginibus notandi essent. Ad librorum citationes accedunt quędam alia; ut est numerus librorũ, qui antecedere solet, cũ auctor plures ros composuit: capitum, et capita numerus.

Sunt etiam pro artium diuersitate uarij citandi modi, per distinctiones, per textus, per leges, per paragraphos, & per initia legum. Qua autem ratione ista omnia fingenda, & collocanda sint, nolo hoc loco latius exponere, cum quisque ex se per regulas iam traditas, facere id possit. Quod si quis aliquem auctorem consulere uellet, Guntherium legat.

Octaua positio tempora, hoc est anni, & eorum partes, hoc modo notari possunt: Annus per serpentem, qui caudam mordeat: menses characteribus signorum zodiaci, aut illis, quibus Astrologi utuntur, uel per mensium attributiones, quo modo a pictoribus pinguntur. Dies, Astrologorum characteribus, aut planetarum figuris: ut dies dominicus per Apollinem, & sic de alijs. Horæ per horologium: horarum uero numerum aliqui hunc in modum designant. Primum ligetur horologium ad manum sinistram, & extendantur digiti pro ratione numeri, & ita designabuntur sigillatim quinque horæ: postea alligetur ad medium brachium, & eodem modo digiti extendantur, & designabuntur aliæ quinque horę, & ita erunt decem: postea alligetur ad humerum sinistrum, & modo iam dicto explicentur digiti, & ita aliæ quinque notabuntur horæ: deinde alligetur ad humerum dextrum, et postea ad medium brachium extendēdo digitos dextrę manus. Tempus uero designatur per senem: qui si aspiciet terram, designabit præsens: si cęlum, futurum: si post tergum, præteritum.

Nona

Nona positio, si quis uellet uno & eodem tempore
simul plura pluribus per hanc artem dictare, is ua-
ria habeat loca communia, gratia exempli decem, et
in singulis per singulas distiones, siue res, suas per
ordinem collocet imagines: ubi omnia locauerit, per
singula loca percurrat, & ordinatim dictet, primas,
secundas, tertias sententias, & alias: Et si quis uel-
let mirabilis uideri, ordine retrogrado dictaret. Exẽ
pli gratia, si quis eodem tempore quattuor uellet di-
ctare epistolas, eas prius conficiat: postea in quat-
tuor diuersis locis communibus singularum epistola
rum singula uerba collocet, eaque memoriæ mãdet;
& sic facillime ordine recto, & retrogrado poterit
eas dictare; quod sane mirum uideretur ijs, qui hanc
artem ignorarent: ijs uero, qui non sunt huius artis
ignari, non item.

Quod autem de quibusdam fertur, pluribus plura
uno eodemq; tempore dictasse, ut speciatim de Iulio
Cæsare, qui dum ipse scribebat, quattuor epistolas Euseb.
dictabat, & de Origene, qui septem scriptoribus di-
ctare solebat, ingenij memoriæq; bonitate factũ fuis
se existimandum est: & Origenes fortaße non sine Hier.
diuina ope: sine qua sex millia uolumina, ut quidam
referunt, edere non potuißet; qui tanta fuit prædi
tus doctrina, ut Ecclesiarum magister post Aposto
los fuerit appellatus.

De recto artis memorandi usu. Disput. 9.



VONIAM *parum utiliter omnium artium pręcepta traduntur, nisi eorum rectus demonstretur usus; propterea, ne quæ de memoria documenta dedimus, sine fructu data uideantur, in postrema huius operis parte aliquot admonitiones ad bonũ artificiosę memoriæ usum pertinentes adijciemus: quas quibusdã positionibus perstringemus, quibus multa paucis complectemur.*

Prima positio, maximus est in omni vita memoriæ usus. Est enim memoria ueluti hominis ęrariũ, in quo omnia diuina & humana, cęlestia, & terrestria, omnes denique rerum naturę asseruantur: quasi cęlum unde hominis emanat lux: quasi primum mobile, a quo cętera omnia mouentur: quasi oceanus quidam, ex quo omnia scaturiunt flumina: quasi munitissima arx, & quidam Troianus equus, unde armati milites ad expugnandos, & uictos trahẽdos auditorum animos erumpunt: & denique quasi bibliotheca, librorum refertissima, atque plutosophia, hoc est sapientię opes.

Secunda positio, longe melior est memorię, quam bibliothecę usus. Primum quidem, quia bibliotheca introducta est ob memorię uitium: ac proinde memoria melior est, quam bibliotheca. Est itaq; memoria ueluti pes uiuus, qui quoquo uolumus nos prosequitur; bibliotheca uero quasi pes mortuus, siue ligneus, qui loco moueri nequit. Deinde, quia minori

vi labore atq; impensa paratur, ac proinde est omnibus: tum diuitibus, tum pauperibus communis. Præterea bibliothecæ usus non post esse ubique & semper; memoriæ uero maxime: de die, de nocte, domi, foris, in hac, & in alia uita. Postea, per memoriam efficimur similes Angelis, qui cum omnia mente contineant, nulla bibliotheca indigent, sicuti nec primi parentes indigebant, nec Deus indiget. Denique, quia, qui hac bibliotheca utuntur, ueluti oracula quædam subito petentibus dant responsa, dubitantibus satisfaciunt, ac proinde omnibus admirabiles uidentur. Quare, si eorum laudantur studia, qui bibliothecas munitissimas parauerunt, ut Ptolomęi, Gordiani, Eusebij, & aliorum, quanto magis laudari debent illi, qui memoria pro bibliotheca vsi sunt; vt Esdras, Iulius Cęsar, qui solum iniuriarum erat obliuiosus, Portius Latro, Themistocles Rauennas, & alij. Cum ergo talis ac tantus sit huius bibliothecę vsus; ad eam recte cōstituendam nonnullas admonitiones subijciemus.

Tertia positio, in bibliotheca memorię conficienda, hæc animaduertenda sunt.

Primo, maxima locorum multitudo notanda ac formanda est: prout quisq; plura, uel pauciora perpetua memoria continere uoluerit.

Secundo, quotidie quisq; aliquid eorū quæ audit, aut legit, eius scientiæ quam profitetur memoriæ mandet, siue collocet: ita ut audita & lecta in memoriæ ærario per hanc artem conseruanda ponātur.

Tertio

Tertio, ista loca semper remaneant plena, ut sint firma, contra obliuionem, quæ est memoriæ tinea. Quare, bis terue in mense repetenda erunt ea, quæ iam didicerimus, & uesperi, quæ mane memoriæ commendauimus.

Quarto, ut in bibliotheca ponuntur separatim cuiusc unique artis libri: ita in distinctis locis communibus, distinctæ facultates, & materiæ ponendæ sunt.

Quincto, in huius bibliothecæ fabrica paulatim procedendum est, ne dum multa fabricare & collocare uolumus, labore perterriti, ædificationem abijciamus: cauendum est igitur, ne eodem tempore collocentur multa.

Sexto, si alicui loco, uel materiæ aliquid de nouo addendum esset, ad latera aliquę possunt apponi imagines, quæ rem nouam referant: aut locus ante, retroue dilatetur, & imaginibus repleatur: aut naturalis memorię usus adhibeatur. Quamobrem, non placent illi, qui hanc artem sine memoria naturali consistere poße putant; cum interdum eius usus sit necessarius: præsertim in uerbis & sententijs compositis: in quibus magis admiscetur naturalis memoria, quam in simplicibus.

Septimo, præter loca plena ædifi canda sunt alia, quibus pro re nata, uti possimus, & ad ea collocanda quorum perpetuã mmemoriam habere nostra nihil refert; aut certe habere nolumus.

Octauo, in ędificatione prius incboandum est a facilio-

ciilioribus: & ideo prius discamus locare simplicia facta, quam uerba, & prius uerba simplicia, quam composita atque complexa, & prius breues sententias, quam longiores, & carmina, quam orationē numeris solutam, & lecta, seu scripta, quam audita.

Carmina, ut id hoc loco obiter dixerim, his modis locari poterunt. Primum per ipsorum capita; maxime cum sunt facilia & connexa: Deinde per capita singularum distictionum: Postremo per figuras singularum uocum.

Audita uero hoc modo: Primo, si singula uerba locentur, ut singula repetantur: uerum hoc non est tironis, sed hominis multū diuque exercitati: ubi opus est maxima in audiendo attentione. Secundo, dum auditur, paulatim pro rebus notandis fingendæ sunt imagines, & suis locis collocandæ, & si quid datur tēporis, quod tunc daretur, cum sola capita locarentur, repetendæ sunt. Sed hoc loco illud supponitur, ut is qui dicit, non confuse, sed ordinate dicat, neque male pronuntiet. Denique, notanda est connexio & ordo eorum quę dicuntur. Bibliotheca iam comparata, eius usus tenendus est, de quo aliquid sequenti positione dicam.

Quarta positio, ad rectum memoriæ usum, hęc obseruanda sunt.

Primo, omnia quæ de memoria discuntur, pro uanis habenda sunt, nisi accedat vsus, & exercitationis: quæ admonitio est quidem in promptu; sed tamen cū a multis negligatur, frustra hac in re tempus ab eis

con-

conteritur; ut a quibusdam iuuenibus conteri aliquã do uidi: qui dum in uarijs libris legendis, & in prçceptis colligendis toti essent, nihil memoriæ committebant: adhibendus est itaque præceptorum usus.

Secundo, cum per huius artis exercitationem spiritus uitales languescant, & animi uires flaccescant, expedit profecto, ut aliqua ratione reficiantur: possũt autem refici odore, liquore aliquo, calore, frigore, alia ue ratione, prout natura ipsa affecta postulabit.

Tertio, cum repetitio ad memoriæ conseruationẽ sit necessaria, ut sçpe diximus, non erit inutile, si interdum inter strepitus fiat, ne si ad strepitum aliquando sit dicendum, aliqua ratione impediamur.

Quarto, qui uult facile hanc artem exercere, recte intelligat, & distinguat rem, sententiamque collocandam, eamque secum solitarie uoce referat, ut facilius in publico eandem explicet.

Quincto, cum fieri poterit, & cum res postulabit, potius singula uerba, quam conceptus siue sententiæ collocentur: ad quarum dictionem expedit, potius ex loco minus claro, quam ex lucido prodire.

Quincta positio, cum interdum ob locorum paucitatem, imagines delendç sint, ut aliæ reponantur, ad eas delendas, & ad obliuionem inducendam hçc conferunt.

Primum, si quis per loca imaginibus notata cogitatione discurrens, quandam obscurissimam noctem, siue nubem imaginetur, quç omnia obtegat; atque

sua

sua obscuritate deleat.

Deinde, si eodem modo per loca semel, iterum, & tertium discurrendo, imaginetur loca esse uacua, ut prius erant, quam ibi imagines ponerentur.

Preterea, fingere licet imagines tectas aliquo uelo, ad cuius remotionem deiectionem ue imagines etiam remoueri uideantur.

Ad hæc, uim magnam habebit ad imagines remouendas, si fingamus maximam aliquam uentorum, & grandinis procellam, post quam loca cogitatione repetendo, tempus lucidum & tranquillum imaginemur. Similiter, si figeremus adesse hostium, siue armatorum hominum multitudinem, quę hastis & impetu omnia prosterneret, aut fugaret.

Denique, ne plures modos percenseam, cum una res aliam trudat, si rem unam in alterius loco ponere uolueris, eius imago alterius imaginē tollet, eiusque occupabit locum. Quod si loca personas haberent fixas, ita ut personę locorum vicem gererent, tunc ad obliuionem imaginum, quas personis attribuere mus, fingere licebit, personas imagines illas proiecisse, & capite inclinato, brachisque pendentibus stare, & in summa alios gestus facere, quam prius faciebant. His igitur alijsque modis formatæ imagines deleri poterunt.

Atque hęc pauca e multis, quæ de hac quincta elequentiæ parte dicere potuissem, dicta sufficiant: quandoquidem, ut initio dixi, integrum uolumen conficere nolui cum præsertim in his quę diximus, quæ

de

de memoria scribi solent, sint omnia comprehensa. Nec me fugit, quosdam eorum qui de memorandi arte scripserunt, affirmare, esse in hac arte nescio quædã recondita præcepta; quæ tamen, uel ob inuidiam, exponere noluerunt; uel quod magis credo, cum meras nugas fingant, non potuerunt. Crederem tamen, quod ad usum attinet, nouis in hac arte discipulis multum profuturum, si quem in ea exercitatum nacti fuerint; quo duce, quę traduntur præcepta, ad usum discerent reuocare.

Et cum omnia quæ de Oratoris officio dicenda erant, iam exposuerim, mihi iam hac in parte meo officio functo, recte nec ne, alij dixerint, huic operi ad Dei laudem, communemque utilitatem suscepto, atque adeo omnibus de arte dicendi tractationibus finem facere liceat.

Habes ergo, candide Lector, a nobis tres, & uiginti, de arte Oratoria libros septem tomis comprehensos, duos de arte dicendi in quorum primo rethoricę, naturam, in altero eiusdem partes explicuimus, quinque de inuentione, duos de quæstionibus oratorijs, in uno, de statibus, in altero de tribus generibus caussarum egi, unum de partibus orationis, quattuor de eloquutione, totidem de caussis eloquentię, & hos quinque de officio Oratoris, non longo temporis spatio scriptos; ac proinde non omni ex parte limatos: in quibus omnia quæ ad bene dicendum sunt cognitu necessaria, ex optimis quibusque auctoribus, tum Gręcis, tũ Latinis ordinate breuiterq; sunt collecta: cum ex

quam

quam plurimis huius artis ſcriptoribus, & ex uarijs operibus artem dicendi continentibus, unum quaſi corpus & opus confecerimus, quod loco omnium tibi eſſe poterit; cum nihil cognitione dignum in alijs ſit, quod in noſtro non contineatur opere: de quo illud libere fatemur, quod alibi non uno loco teſtati ſumus, non eſſe ubique omnino abſolutum, cum de Rhetoricis, ob cauſſas alibi dictas, obiter egerimus, quę tamen, fauente Deo, alias abſolutiora in lucem uenient.

Interim, tu candide Lector, quę tua erit humanitas, quæ ſcrpſimus candido accipe animo, et ni ſcripta probas, ſaltem iuuandi uoluntatem commenda, et meliora profer: ad quod faciendum, dum hanc artem nova quadā ratione nullo modo a uiro docto, atque prudente improbanda, tradidimus, uiam poſteris indicauimus.

Libri Quincti Finis.

Laus Deo, & Beatæ Virgini Annunciatæ.



400

6184



